

**05**

**A**

**2510**





J. J.

COLLEGH POLITICI

Disputatio QUINTA

DE

REPUBLICA

in Genere, & in Specie

De

Simplici atq; Mixta,

quam

PRO LOCO

*In Amplissima Facultate Philosophica*

benevolè sibi concesso

publicæ ventilationi submittit

PRÆSES

M. JOHANNES MANITIUS,

Elystrâ-Lusatius, Serenisf. Elect. Sax.

Alumnus,

RESPONDENTE

M. ANDREA CLEEMANNO,

Lieberof. Lusato.

*Ad diem 5. April. An. 1664.*

In Auditorio Majori, hor. matut.

WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS RÖHNERI.



NOBILISSIMÆ. ATQVE. AMPLISSIMÆ.  
FACULTATIS. PHILOSOPHICÆ.  
SPECTABILI. DOMINO. DECANO.  
SENIORI. MAXIME. VENERANDO.  
CÆTERISQVE. PROFESSORIBUS.  
PUBLICIS. CELEBERRIMIS.

VIRIS. SUMME. REVERENDIS. AMPLISSIMIS.  
CLARISSIMIS. EXCELLENTISSIMIS.  
DOMINIS. PRÆCEPTORIBUS. PATRONIS.  
PROMOTORIBUS. VENERANTER. PERPETIM.  
COLENDIS. OBSERVANDIS.

HAS. QVAS. DEBEO. PAGELLAS.

GRATITUDINIS. ERGO.

D. D. D.



Præses.

05 A 2510

DISPUTATIO POLITICA QUINTA

De

REPUBLICA

in genere, & in specie

De

SIMPLICI atq; MIXTA.

SECTIO I. ΘΕΤΙΚΗ.

Θέσις I.

**R**еспублика est ordo Civitatis, cum aliorum Magistratum, tum præcipuè illius, qui summam habet potestatem, utilitatis gratia.

*Ex Θεσις I. Materia declarata, forma nunc consideranda erit in materiam introducenda, quæ forma etiam finis nuncupatur internus, prout disp. 1. quæst. 7. supra declaratum.*

2. *Respublica* quoad nomen est quasi *publica res*, eò quod communem ac publicam salutem respiciat, omnesq; Republicæ gubernacula tenentes tacitè hortatur, ne privatum commodum magis, quàm publicum spectantes, ex re publica privatam rem efficiant. *Publicum* autem dicitur quasi *populicum*, adeò ut denotet omne, quod ad populum pertinet.

3. Sumitur autem Respublica *tribus* potissimùm *modis*: *vel generaliter*, pro Republica in genere, sine determinatione ad certam formam seu Monarchicam, seu Aristocraticam, seu Democraticam, ut hoc in loco; *vel specialiter*, pro certa forma sine applicatione ad certum Individuum; *vel specialissimè*, pro hac vel illa Republica v.g. Venetorum, Romanorum, Gallorum &c.

4. Vocatur aliàs *Civitas*, & cum ea coincidit, quando *materialiter* spectatur; sed *formaliter* diversum quid ab illa est.

5. *Genus* à nobis constituitur *Ordo*, tum quia *latius patet*, quùm & ordo reperitur in familia, in ludo literario inter discipulos, in Gynæceo inter mulieres, quæ tamen propterea non sunt Republicæ; tum quia est *Imperantium & Parentium*, quos inter propter diversitatem magnam ordine opus est.

A z

6. *Diffe-*

6. *Differentia* desumpta est ab *Objecto*, nempe *Civitate*, quia *Respublica* non est *ordo creaturarum omnium*, neq; *brutorum*, neq; *hominum quorumcunq;*, sed *hominum ad civitatem constituendam idoneorum*, adeò ut videamus, *ordinem Civitatis* nihil aliud inferre, quam *Civitatem ordinatam*, quæ sic *Reipublicæ Genus* cum *differentia* erit.

7. *Objectum* itaq; *Reipublicæ proximum est Civitas*, & ea quidem ab *ordine abstracta*; cum *ordine verò considerata eadem*, *Respublica ipsa est*. *Remotum sunt pagi*. Sicuti enim nil obstat, si in *Republica* una plures reperiantur *Civitates* speciatim sic dictæ v. g. in *Republica Romana* præter *Civitates liberæ*, quarum sexaginta sex numerat *Reinkingk. l. 1. clasf. 4. de Reg. fac. Imp. Rom. cap. 21.* etiam plures adhuc dantur non liberæ, & tamen una saltem est *Respublica* cum *ordine considerata*: ita quoq; *Reipublicæ Essentiæ* derogare nil poterit, si vel maxime nulla ejusmodi *Civitas* speciatim ita dicta alicujus imperio subjaceret, dummodo plures *pagi* ibi reperiantur.

8. *Subiectum sunt Magistratus & subditi*, atq; hi ab una summa potestate, quam *Majestatem* vocant, dependent, quippe qui sunt *coordinandi & certis jubendi parendiq;* legibus devinciendi.

9. *Forma* consistit in *vinculo constringendi Majestatem & subditos*, eosq; ad unum corpus redigendi. *Vinculum verò illud sunt Leges* ejusq; *Reipublicæ fundamentales*, quæ variant pro varietate formarum in *Republica*.

10. *Causa Efficiens* *Reipubl. universalis Deus est*, qui non tantum naturæ hominum societatis amorem implantavit, sed & ipse in populo suo ordinavit & adhuc in manu omnipotentis suæ habet *Respublicas omnes*. *Particularis est consensus & obligatio mutua inter Magistratum & subditos*.

11. *Finis* in definitione innuitur *utilitas*, quæ vel *publica* atq; *communis* in *Republica recta*; vel *privata* in *Republica corrupta*.

§. II. Dividitur primò *Respublica* in *simplicem & Mixtam*.

Ex §. I. *Fundamentum* hujus divisionis *suprema est Potestas*. Nam quando eadem penes unum est, fit *Monarchia*; quando

quando penes paucos indivisim, oritur Aristocratia; quando penes omnes indivisim, exurgit Democratia; quando verò summa Potestas est penes unum partim, partim penes plures, partim penes omnes, adeoq; penes unò plures divisim prodit Respublica mixta.

2. Nec minus *ex forma* istius divisionis constat bonitas. *Quot modis enim forma sese habet, & eadem intellectui nostro sese representat, tot modis etiam Respublica se habet; At forma sese habet duobus modis, totq; vicibus intellectui nostro sese representat, modò indivisim, qui modus constituit simplicem; modò divisim, qui modus mixtam facit Rempublicam; Ergò.*

3. Hinc Respublica mixta negari non potest, tum ob rationes jamjam adductas, tum ob jurium Majestatis divisibilitatem, quæ cum sint signa atq; argumenta summæ Potestatis, indicare nobis facile possunt, quâ ratione potestas sit divisa, adeoq; Respublica mixta fuerit constituta.

**§. III.** Respublica simplex est, ubi summa potestas est vel penes unum vel penes unò plures indivisim.

*Ex §. I.* Dicitur simplex non ratione Personarum, quum plures etiam in ea possint Imperium suscipere; sed respectu formæ, quia unicâ tantum & simplici regiminis formâ & modò administratur. Estq; vel nobilior, ut Monarchia; vel ignobilior, ut Aristocratia ac Democratia, quas inter adhuc ratione dignitatis aliqui reperiuntur gradus.

2. Genus hîc non est omisum, sed præmissum, ne fiat otiosa repetitio. Differentia reliquis continetur verbis, potissimum ubi additur, quod summa potestas *indivisim* sit vel penes unum, vel penes unò plures. Per hanc enim *indivisionem* differt à mixta, in qua summa potestas est *divisim* penes unò plures.

3. Dicitur autem summa potestas penes unò plures indivisim esse, quando vel penes plures, vel penes omnes conjunctim sumendos ita est, ut unus aliquam summæ potestatis particulam seorsim exercere non possit.

**§. IV.** Species Reipublicæ simplicis tres numeramus, nempe Monarchiam, Oligarchiam & Democratiam.

A 3

Ex §.

Ἐκθεσις I. Alii, ut B. Dn. D. J. Martini lib. 2. Pol. c. 2. for-  
sitam *Autoritate Platonis l. 3. de LL. motus, & Paurmeisterus δι-*  
*χοποιίαν* hic faciunt, & Rempublicam simplicem dividunt in  
*μονοκρατίαν καὶ πολυκρατίαν. Illa est unius, hæc plurium Im-*  
*perium. Nobis tamen & multis aliis cum Arniseo placet τρι-*  
*χοποιία* salvâ tanti Viri *Autoritate.*

2. Quamvis verò tres illæ sint species, in singulis tamen  
manet vera potestatis *indivisio.* Nam in *Monarchia* eam  
indivisam esse, dubitat nemo; in *Aristocrasia*, licet penes mul-  
tos sit potestas, illa summa, non tamen singuli imperant, sed u-  
niversi; Idem in *Democratia* obtinet, quum non penes quemli-  
bet ex populo, sed penes universam multitudinem sit potestas.  
Antequam verò in specie de his agamus, de divisione Reipub-  
licæ in Rectam & Corruptam, sed paucis, videbimus.

Θέσις V. Dispescitur secundò Respublica in rectam  
atq; corruptam.

Ἐκθεσις I. *Accidentalis hæc est differentia, quia virtutes &*  
*vitia non Essentiam Reipublicæ, sed duntaxat Qualitatem ejus di-*  
*vidunt, quam rationem suppeditat Excell. Dn. D. Wendelerus*  
*Phil. pr. p. 555.*

2. *Recta est, quæ utilitatem respicit communem, ut sunt Re-*  
*gnum, Aristocrasia, Democratia & Mixta bona; Corrupta uti-*  
*litatem Imperantium privatam intendit & observat, ut sunt Ty-*  
*rannis Oligarchia, Ochocrasia & Mixta mala.*

Θέσις VI. Monarchia est Respublica, in qua summa  
potestas est penes unum.

Ἐκθεσις I. Appellatur *Monarchia* ἀπὸ τῆς μόνου, quod si-  
gnificat solitarium vel unicum, & ἄρχω impero, dominor.  
Hinc *μοναρχίας*, qui solus dominatur & imperat.

2. Ad Essentiam g. Monarchiæ requiritur, ut unus re-  
rum potiatur, atq; sic ab Oligarchia & Democratia distingui-  
tur. De hoc statu Monarchico eleganter scribit *Homerus in*  
*Agamem.*

ἐκ ἀγαθὸν πολυκραιδίην εἰς κείραν  
εἰς βασιλεύς.

Θέσις



Θέσις VII. Dividitur Monarchia in Regnum & Tyrannidem. Regnum est Monarchia, in qua Imperium est penes unum, bonum publicum spectantem. Tyrannidis est Monarchia, in qua summa potestas est penes unum, bonum privatum spectantem.

Εκθεσις I. Quales hæc sit differentia inter regnum & Tyrannidem ex Θεσ. V. Εκθ. I. constitit.

2. Dicitur Regnum Monarchia, & Rex Monarcha. Vocatur Republica πρώτη, quia ortu prima est, & originem trahit suam ex Imperio Paterno. Appellatur βελτιστη optima, Θεοτάτη divinissima, non tantum ratione originis, quia à Deo est, sed & ratione assimilationis, quia sicut unus & Solus Deus est Dominus in Coelis & Terra: ita quoque Rex unus imperat in suo territorio.

3. Subjectum regni est unus aliquis, & hic consideratur vel ut constituendus, vel ut constitutus. Quando adhuc est constituendus, multa in eo sunt spectanda 1. Genus, ut non sit adeo obscura & abjectæ fortis homo. 2. Natio, ut non sit alienigena, sed indigena. 3. Ætas, non sit puer, nec senex decrepitus, sed maturæ ætatis homo. 4. Virtus, ut Virtutibus imperatoriis polleat; Et denique 5. existimatio, ut habeat penes omnes bonam famam.

4. Constitutionis modus fit vel per successionem, vel per Electionem prout Leges alicujus Reipublicæ fundamentales & consuetudo inveterata id ipsum postulant. Excluditur ergo modus omnis illegitimus, quò summa potestas vel vi, vel fraude & dolo malo, vel largitionibus arripitur atque acquiritur.

5. Quando Rex jam constitutus est, tunc requiritur I. ut unus sit, qui omnium rerum potestatem habeat. Ubi itaque plures unò pari potestate imperant, illic regnum esse non potest. Contradictorium namque est, esse regnum seu Monarchiam, & tamen unò plures pariter imperare.

6. II. Ut unus ille communem respiciat utilitatem, per quam conditionem Tyrannidis à Regno differt. Hoc autem præstat Imperans, quando omnes pariter subditos paterno amore complecti-

plectitur, nec committit, ut divites aliquid injusti patiantur, aut pauperes injuriâ & contumeliâ afficiantur.

7. Ut autem Regi libenter pareant subditi, requiritur. 1. ut virtutibus emineat aliosq; superet. 2. Autoritate polleat, Et 3. Religiosus sit. Conf. Cl. Cellar. in Pol. p. 112.

8. Tyrannis Regno opposita omnium Rerumpublicarum deterrima est. Una potissimum conditio est, quæ Tyrannum constituit, nempe salutis publicæ everfio, quam reliqua sequuntur vitia.

9. Vocabulum quidem Tyranni, si primam respicias impositionem, honestum satis erat, & denotabat illum, qui erat inter suos dignitate regiâ, ut de Miltiade Nepos noster loquitur. Quum verò plerumq; Principes omnia vi agerent, postea in abusum tractum est.

10. Oritur Tyrannis, 1. ex Regno, hinc & transgressio regni nuncupatur, quando scilicet Rex degenerat, regiamq; suam potestatem in Tyrannicam convertit. 2. Ex Oligarchia, quando unus ex Optimatibus, qui præ cæteris opibus & calliditate major est, imperium ad se solum rapit. 3. Ex Democratia, cum is, qui Dux belli est constitutus armatâ manu Regnum & Dominium ad se rapit.

11. Est verò Tyrannus in triplici differentia. Vel occupatione, ut quando quis modò illegitimò ad rerum gubernacula pervenit, rectè tamen eandem administrat; vel administratione, quando quis legitimè ad Imperium est evedtus, potestate tamen illâ in Reipublicæ perniciem abutitur; vel occupatione & administratione simul, quando quis nec legitimè ad Imperii clavum pervenit, nec legitimè Rempublicam administrat.

12. Notandum tamen & hoc, quod non statim Tyrannus dicendus ille, qui minùs accuratè Reipublicæ rationem habet, aut qui privatis quibusdam vitiis est commaculatus, aut unicuique vel alterum saltem Tyrannidis exercet actum. Nisi enim quis totalem Reipublicæ ruinam intendat, pro Tyranno statim habendus non est.

13. Inter Regnum & Tyrannidem ambiguus est Dominatus, qui tum de Regno, tum de Tyrannide aliquid participat.

De

De regno participat, dum Tyranni ad instar Rempublicam e-  
vertere prorsus non laborat; De Tyrannide, dum commodum  
privatum majoris æstimat, quàm bonum publicum.

14. *Dominatum g. constituit primariò bonum privatum.*  
Quia verò familiam suam subsistere aliter non posse animad-  
vertit, nisi insuper & Reipublicæ commodum respiciat, idè  
*secundariò bonum quoq. spectat publicum.*

Θέσις IIX. Oligarchia est Respublica simplex, in  
qua summa potestas est penes paucos indivisim.

Ἐκθεσις I. Oligarchia dicitur ἀπὸ τῶν ὀλίγων i.e. à paucis  
& ἄρχω, dominor, impero, quia pauci sunt, qui hac in forma  
rei summæ præsumt.

2. Genus iterum Respublica simplex est, & hætenus cum  
Monarchia atq; Democratia convenit. *Subiectum* itidem hoc  
in loco summa potestas est, quæ facit *differentiam Oligarchie*  
*partim à Monarchia*, quod plures unò hîc imperent; *partim à*  
*Democratia*, quod pauciores universis Rempublicam admini-  
strent.

3. Additur *indivisim*, quò ipsò significatur, summam Im-  
perii potestatem non esse penes unumquemq; ex paucorum  
imperantium numero in solidum, ita ut quilibet, quæ velit,  
agere possit; sed penes omnes simul sumtos, adeò ut illi con-  
junctim idem, quod Rex in Regno, imperium habeant, idemq;  
decernere possint, quamvis nullus eorum seorsim spectatus,  
quæ Reipublicæ commoda aut incommoda attinet, alterò in-  
consultò quicquam præstare possit.

Θέσις IX. Dividitur in Aristocratiam & Oligarchi-  
am in specie sic dictam, quarum illa est Respublica sim-  
plex, in qua summa potestas est penes paucos, bonum  
publicum spectantes; Hæc verò Respublica simplex,  
in qua summa potestas est penes paucos, bonum priva-  
tum spectantes.

Ἐκθεσις I. Talis itidem hæc est membrorum diversitas,  
qualis antea in Monarchiæ divisione in Regnum atq; Ty-  
rannidem fuit.

B

2. Ari-

2. *Aristocratia* dicitur *vel* *subiectivè*, quod à *ἀριστο* opti-  
mates *ἡγετῶσι* imperant; *vel* *objectivè*, quod imperantes τὸ  
*ἀριστον* h. e. salutem Reipublicæ attendunt.

3. *Genus* constat; *Differentia* Aristocratiam ab Oligar-  
chia distingvit, quod illa bonum spectet publicum, hac verò  
privatum.

4. Ut autem in Aristocratia pauci sunt, qui salutem ob-  
servant publicam: ita quoque in Oligarchia pauci illi imperan-  
tes salutem respiciunt privatam. Nonnunquam id præstant  
hi *absolutè & simpliciter*, nullò ad bonum publicum habitò re-  
spectu; nonnunquam verò tantum *secundum quid & comparatè*,  
ubi *primariò* suam, *secundariò* subditorum curant salutem.  
*Prior* modus magis corruptus est & cum Tyrannide coincidit;  
*posterior* adhuc tolerabilis, non secus atque Dominatus sese ha-  
bet inter Regnum & Tyrannidem; Ita & hic inter Aristocrati-  
am & Oligarchiam specialiter sic dictam.

*Definitio* X. Democratia est Respublica simplex, in  
qua summa potestas est penes universos conjunctim &  
indivisim.

*Etymologia* I. Nomen habet Democratia à *Δῆμος* & *populus*  
& *ἡγετῶσι* imperare. Imperium namque in hac Reipublicæ for-  
ma penes populum est universum.

2. *Genus* idem est, quod fuit Aristocratiae & Monarchiae.  
*Differentia* verò, quæ hanc Rempublicam constituit & per quam  
ab aliis formis separatur *in universorum imperio consistit*. No-  
mine populi universi cives intelliguntur. Ut enim in Mo-  
narchia unus est, qui imperat. In Oligarchia verò pauci; ita in  
Democratia omnes ad Imperii clavum sedent.

3. Annectitur notanter *conjunctim & indivisim*, quia sta-  
tus simplex est, non mixtus, ubi summa potestas divisim penes  
Imperantes esse debet. Hoc in loco verò omnes, quatenus  
conjunctim sumuntur, sunt imperantes, atque imperantes, per  
quos imperant, constituunt; quatenus autem seorsim, & di-  
visim spectantur, & ut singuli, ita subditi sunt, illisque quibus  
summa potestas à populo offertur, obedire tenentur.

*Definitio* XI. Dividitur in Politiam & Democratiam  
specia-

specialiter sic dictam. Politia est Respublica simplex, in qua summa potestas est penes universos, bonum publicum spectantes. Democratia specialiter sic dicta est Respublica simplex, in qua summa potestas est penes universos, bonum privatum spectantes.

*Expositio I.* Differentia denuò accidentalis hæc est, inter Politiam & Democratiam specialiter sic dictam, qualis esse solet inter Rempublicam rectam atq; corruptam, ut supra non semel monuimus.

2. *Subjectum utrinq; est universus populus, includens non saltem multitudinem plebejam, sed & ordinem Patritium, divites & pauperes, & isti habent eandem summam potestatem, quam aliàs Rex habet in Regno, & Optimates in Aristocratia.*

3. *Populus, qui observat bonum publicum, constituit politiam; Qui verò bonum privatum attendit, Democratiam in speciè sic appellatam seu Ochlocratiam, ubi plebs furens ac insana pro lubitu & impotentì arbitriò imperat, & quidvis sibi licere autumat.*

*Oratio XII.* Respublica mixta est, ubi summa potestas est penes unò plures divisim.

*Expositio I.* Sicut in Rebuspublicis simplicibus iudicium de iisdem fieri consuevit ex summa Potestate: ita & hoc in loco Eadem respicienda. *Ibi summa potestas considerabatur indivisim, hic verò divisim.* Dividi autem posse summam potestatem, indubitatum est illi, qui novit, aliam in iudicando, aliam in exigendis tributis, aliam in constituendo Magistratu, & aliam in bello indicendo consistere.

2. *Dicitur mixta, non per mixtionem physicam, quomodo Elementa in corpore mixto miscentur; neq; per illegitimam Re- rumpublicarum confusionem; sed per legitimam formarum simplicium mixtionem, quâ Majestas à supremo Magistratu per medios fluit in subditos.*

3. *Subjectum sunt plures, quia penes unum in mixta Respublica non potest esse summa Majestas. Si enim mixta est, sine compositione atq; conjunctione neutiquam esse poterit, quæ tamen compositio ratione unius fieri nequit.* *Ob-*

4. *Objectum* est denuò hic *summa Potestas*. *Quaecunq;* enim *Respublica vera est, ea summam Potestatem habeat, necessum est; Atqui Respublica mixta vera est Respublica, Ergò.*

5. *Modus* in voce *Divisim* insinuatur, & consistit *partim* in *unione formarum simplicium*, vel *quando plures simplices in unam coalescunt, licet specie non differant e. g. duæ Monarchiæ vel tres Aristocratiæ; vel quando duæ vel plures species in unam coeunt, ut Regnum & Aristocratiæ &c. partim in summa potestatis communicatione divisa, ita ut non unus aliquis, sed omnes divisim, unus hanc, alius aliam possideat Majestatis particulam, conjunctim verò eandem omnes habeant.* Recta est, in qua plures summam habent potestatem divisim, ac bonum publicum spectant. Corrupta verò, ubi plures summam habent potestatem divisim, & privatam respiciunt commodum.

**§. XIII.** *Respublica mixta dividitur in Rectam & Corruptam.*

**§. I.** *Recta* vocatur *tùm ob Imperantes*, qui ex virtutis studio & ergà Patriam amore officio suo laudabiliter funguntur, ut non immeritò Patriæ Patres appellari queant; *tùm ob Parentes*, quia & isti mores sequuntur Imperantium, quùm *qualis Rex, talis quoq; Grex* esse soleat.

2. *Corrupta* verò è contrario dicitur *ob Imperantes corruptos & parentes quoq; vitiosos.*

3. *Subiectum* utrinq; sunt plures; *Objectum* quoq; unum, *summa nempe Potestas.* Nec *modus* diversus, quippe qui tam in *recta*, quàm *corrupta Republica in divisione consistit.* Differunt autem *sine*, quod *recta observet bonum publicum, Corrupta verò privatam.*

4. *Mixta Respublica recta fit vel ex Regno & Aristocratiæ; vel ex Regno & Politia; vel ex Aristocratiæ & Politia; vel ex Regno, Aristocratiæ & Politia.*

5. *Corrupta miscetur vel ex Tyrannide & Oligarchia; vel ex Tyrannide & Ochlocratiæ; vel ex Oligarchia & Ochlocratiæ; vel deniq; ex Tyrannide, Oligarchia & Ochlocratiæ seu Democratia specialiter ita dicta.* Atq; hæc quoad theses sufficiant, annectimus nunc *Quæstiones.*

SEC-

SECTIO II. ΖΗΤΗΤΙΚΗ.

Qu. I. Cur in definitione Reipublicæ tantum fiat mentio Magistratum omisis subditis?

Respondemus, nos loqui in data definitione non exclusivè, sed inclusivè. Nominamus potissimum, & minus subintelligim⁹, quia ubi Magistratus sunt, non possunt non esse quoq; subditi, quum unum relatorum alterum præsupponat. Nec sine ratione fit mentio tantum Magistratum, quia illi, non subditi, sunt ordinandi, quippe inter quos aliqua est inæqualitas, dum alii sunt superiores, alii inferiores: alii summi, alii intermedii. Subditi autem omnes possunt esse æquales, ita ut ordo inter eos tantæ non sit necessitatis.

Qu. II. An Rerumpublicarum distinctio à Divitiis & Egestate sit petenda?

Nos negamus de distinctione essentiali questionem: at de accidentali eandem concedimus. Per divitias & Egestatem non distinguuntur Rerumpublicarum Essentia, sed saltem accidentia. De mente Philosophi prolixè disserit ex Arniseo & B. D. J. Martini Excell. Dn. D. Wendelerus in Phil. pr. p. 558.

Qu. III. An Rempublicam constituere possint multi pagi?

Asseruimus hoc supra thes. I. E'xS. 7. nec ratio in contrarium apparet ulla, maxime si de Essentia Reipublicæ sermo fuerit. Si dicatur, requiri Civitatem ad Rempublicam tanquam materiam proximam, pagos vero ut materiam saltem remotam. Respondemus, non hic sermonem esse de corpore seu toto aliquo Physico, sed de morali; non de toto per se, sed per accidens; non de toto materialiter, sed formaliter spectato. Sicuti ergo Civitas multis ex pagis constituitur: ita si vel maxime pagi ad corpus civitatis non redigantur, iidem tamen Rempublicam possent constituere, cum Reipublicæ Essentia in civibus, non in Civitate consistat. Si quis autem ita inde arguat: Ubicumq; nulla est Civitas, ibi quoq; nullus est civis; At qui in pagis nulla est Civitas, Ergo Respondemus, confundi iterum materiale cum formali; abstractum cum concreto. Et si rectè consideretur argumentum, à Conjugatis tantum illud desumptum esse videtur, qualia ar-

gumenta valdè sunt infirma. Nec major propositio universalis atq; reciproca est: Hoc quidem certum: Ubicunq; est Civitas, ibi quoq; cives: Non autem istud: Ubicunq; cives, ibi quoq; Civitas. Imò si ad prædicatum prioris propositionis addere velis particulam *omnis* & eandem ita informare: Ubicunq; est civitas, ibi omnes sunt cives: tunc nec illa suo stare poterit talò, quùm peregrini, servi ac hospites in Civitate sint, qui tamen cives non sunt.

Qu. IV. An ea Civitas, quæ superiorem agnoscit, rectè vocetur Respublica?

Ita quidem in titulis luxuriosi esse solemus, adeò ut non tantùm Civitates Imperiales, sed & alias minores sæpè Respublicas appellari & audias & videas. Sed non adeò benè, quàm sivetè. Nos ex definitione Reipublicæ colligimus hunc in modum: Quæcunq; Civitas non habet summam potestatem, sed agnoscit adhuc superiorem, illa Respublica nec est, nec vocanda est; Atqui Civitates Imperiales & alia minores summam potestatem non habent, sed superiorem agnoscunt, Ergò. Major per se clara est; Minor inductione fit manifesta, quia licet hæc vel illa civitas aliquam habeat Majestatis particulam v.g. jus cuedendi Monetam, jus stapularum &c. ea tamen potestas tantùm privilegiata & dependens est. Idem de Electoribus & Imperii Principibus statuendum, quod nempe eorundem Civitates non sint integræ Respublicæ, sed tantùm Reipublicæ partes. Omnia enim membra, quamdiu subjiciuntur uni capiti, atq; ab Eodem reguntur, saltem totius sunt partes.

Qu. V. An mutuus consensus sit causa Reipublicæ proxima?

De causa hic quæritur particulari. Non naturali, quæ ipsa natura est, sed voluntaria, quæ mutuus consensus seu obligatio mutua audit. Quæritur item de causa primaria, non secundaria, quales causæ esse possunt metus, indigentia &c. Propior aliàs causa non datur, quùm multitudo hominum sine consensu & ad certum ordinem obligatione dissipetur facile. Et sicuti corpus sine anima nullum est; ita quoq; Respublica sine ordine nulla est.



er. Obligatur autem Majestas subditis, & subditi Majestatis.  
De hac obligatione dubium nullum est, penes Majestatem,  
verò obligatio est, si non semper expressa & explicita, sufficit  
nonunq. tacita & implicita.

*Qu. VI. An Monarchica gubernandi ratio re-  
reliquis sit preferenda?*

Supponendum hic 1. non sumi vocem Monarchiae in sensu la-  
tiori, prout quodlibet summum unius imperium, sive sit legi-  
timum sive illegitimum denotat, adeoq; & Tyrannicum inclu-  
dit; nec 2. in sensu biblico, pro latissima unius Reipublicae ju-  
risdictione in totum Mundum, quomodo secundum Danielis  
vaticinium cap. II. & III. quatuor tantum Monarchiae nomi-  
nantur; sed 3. sensu aequato, pro unius legitimo Imperio. II.  
Distingvendum inter Monarchiam consideratam ratione suae Es-  
sentiali seu intrinseca dignitatis; & ratione Existentiali variisq; ac-  
cidentibus subjecta. Illo modo Monarchicam gubernandi ratio-  
nem caeteris Rerumpublicarum formis praefendam esse, con-  
sentiant omnes; Nam quò simplicior forma est, eò & perfe-  
ctior; at ratione Existentiali, quat. variis scaturit circumstantiis,  
accidentibus & vitiis, reliquae formae non raro sunt praeferen-  
dae. Accedit, quod quaelibet forma non quamlibet statim  
possit informare materiam, sed prout haec ad recipiendum apta  
est. Quum ergò non omnis Respublica ad gubernationem  
Monarchicam recipiendam apta sit, eam simpliciter reliquis  
anteferendam non esse, asserimus. Sic v.g. motus in Orbem  
reliquis est praestantior, non tamen omnibus, nempe homini-  
bus aut animantibus reliquis. Hinc Philosophus l. IV. Pol. c. 1.  
Et lib. VI. c. 7. hortatur, ut non tantum Rempublicam opti-  
mam absolute, sed eam cum primis, quae in hac vel illa Civitate  
sit optima, quaeramus. Aristocratiam hinc ea in Civitate  
constituendam praecipit, ubi opus est gravis armaturae milite.  
Spectandum namq; esse, ut illi, qui armis exercentur, dignita-  
tem in Republica obtineant, cum non diu armati inermibus  
obtemperare soleant, quippe qui cogi non possent.

*Qu. VII. An in Monarchia constitutione Generis  
habenda sit ratio?*

Asserimus hoc in thesibus. Hac tamen assertio nostra

non

non in sensu diviso est acceptanda, ac si unice generis habenda sit ratio, nulla virtutis; sed in sensu composito, ita ut ante omnia & primario virtutis, secundo vero & Generis suscipiatur cura. Quod si v. illustri loco natus, nullam prorsus virtute præditus à Majorum & Parentum virtute degenerarit, tunc hominem ignobilem & obscuro loco natum, si probus & prudens sit, præferendum esse homini nobili & in illustri familia genito, si sit improbus & imprudens, statuimus. Ille enim, qui præter genus nihil virtutis & Doctrinæ in se habet, non plus præstat Reipubl. quam obsoniorum fumus inanis ad corpus nutriendum prodest, qui tantum nares provocat.

*Qu. VIII, An Monarcha debeat esse Indigena, an Alienigena?*

Pro hoc laborat Machiavellus, tum quod peregrinus majorem apud subditos habeat Auctoritatem, & propterea magis honoretur, quam indigena, cujus infirmitates & vitia magis sint nota; tum quod inter Indigenas, æquè ambientes imperium, sæpè oriuntur contentiones, inimicitie, factiones & seditiones; tum quod nimiam indulgentiam suis parcat Indigena, vel etiam veteri quodam odio præter modum in eos sæviat. At pro illo militat totus saniorum Politicorum chorus. Argumenta habent partim positiva, partim negativa. Positiva, quæ ponunt, indigenam esse præferendum; negativa, quæ negant alienigenam esse admittendum. Primum inter positiva argumenta ex Scriptura S. desumptum est, ubi Deus de Regno ad Exteros non transferendo legem tulit Deut. 17. 25. Alterum ex natura petitum, quum naturalis inter Principes Indigenas & subditos sit *συμπάθεια* & animi propensio, naturalis amor, innata invicem obligatio propter morum similitudinem, & animi & corporis constitutionem eandem. Hinc rectè colligunt, Principem indigenam & feliciter imperare & majori cum fidelitate Reipublicæ commodum querere. Argumenta negativa hæc omnia jam posita addita negatione removeant, tum quod & ipsa Scriptura removeat alienigenam, eundem quoque disvadeat naturalis inter Principem alienigenam & subditos, *ἀντιπάθεια* & dissensio. Adducunt

cunt hanc in rem *Exemplum Scitharum*, ingenuè coram *Alexandro M.* confitentium hanc, quam *Curtius lib. 7. refert*, confessio-  
nem: *Nam, inquit, ut major sis, quam quisquam, tamen alic-*  
*nigenam Dominum pati nemo vult;* Item *Exemplum Romano-*  
*rum*, à quibus *Narfus* natione græcus feliciter illis imperans  
accusatus, quod nolent exteri hominis imperium ferre, ac pro-  
pterea ab officio remotus est, teste *Antonio Guephora in horol.*  
*Principp. l. 1. c. 16. tum quod mutatio Reipublicæ sit metuenda*  
propter morum Principis peregrini diversitatem; *tum deniq;*  
quod hoc ipsum cedat in totius regni Præjudicium, tam difficilem  
habere novercam Patriam, quæ dignum gubernaculis propriis  
nequeat producere Virum, ita ut opus sit, peregrinum quærere.  
Elegans hanc in rem adducit simile *J. Lipsius: Ut, ait, in quam*  
*domum Vespillones veniunt, signum est funeris: Sic Reipublica la-*  
*bentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini.* Conferri  
huc possunt *Consilia Electoris Moguntini, Trevirensis & Saxonici, in*  
*Electione Caroli V. recensita à Job. Sleidano comment. l. 1. p. 20. seq.*  
Atq; sic concludunt: *Indigenam semper, dummodo conditio Rei-*  
*publica sit ordinaria, & ipse quoq; idoneus, alienigenæ præferendum*  
*esse. Quod si verò status Reipublica turbulentus adeò, ut omni-*  
*nò peregrinus eligendus, sanguinis rationem habendam esse, judi-*  
*cant rectissimè, quo in judicio & nos quoq; acquiescimus.*

*Qu. IX. An Electio Magistratus potior*  
*successione?*

*Affirmativam* svadet *partim Electionis natura*, quæ dignis-  
simum semper quærit; *partim incommoda*, quæ successionem  
comitantur v. g. si macula deficiat proles, & adsint fœmellæ,  
inter has & Patruos plerunq; litium sparguntur semina. *Item*  
si masculus adfuerit, sed minorennis, multorum annorum na-  
scitur *diva exia*. Si Tutores & Præfecti assumantur, periculo-  
sam eorum administrationem esse, edocti sumus ex multis hi-  
storiis; *partim antiquitas*, quæ Electioni debetur. Interim  
tamen notandum, hoc valere 1. *in Regno constituendo, non con-*  
*stituto. 2. in tali regno, ubi consuetudo successione nondum con-*  
*firmavit, Et 3. de Electione, quæ rixis & disidiis caret.* Aliàs si  
regnum jam fuerit constitutum, illudq; mores & consuetudi-  
nes

nes jam præ-occuparint, atq; Electio rixis & disidiis scateat, successio ut potior judicanda erit.

*Qv. X. An per sortes instituenda Electio?*

*De Electione hic quaestio est, non de successione.* Successio fit, quando Filius demortuò Patre ejus locum occupat; at Electio vel per suffragia vel per sortes fieri consuevit. *Per suffragia Electio optima est, & si absq; contentione fieri queat, nunquam sorti committenda. Sin verò suffragia fuerint aequalia, equalis etiam dignitatis & virtutis persona, tunc sorti res committi poterit.* Fieri autem debet sortilegium post consultationem, non ut futura inde cognoscamus & prædicemus, sed ut jussu Dei talis eligatur persona, quæ ex Dei prævisione ad imperium est ordinata.

*Qv. XI. An per suffragia fieri debeat Electio?*

*Affirmativa nostra est, dummodò suffragia sint libera.* Eligenda namq; est Persona publica, Electio quoq; ad bonum publicum promovendum est dirigenda. Omnes itaq; suspiciones sunt vitandæ, quæ ex privatis & clandestinis oriri possunt conventiculis. Imò si absq; libertate fuerit, Electio non erit. Potest quidem Electio quoq; esse limitata & ad certum quendam ordinem legibus restricta, modò non fiat artibus clandestinis, aut affectibus moderetur, sed rationibus prægnantibus dirigatur.

*Qv. XII. An foemina ad Imperii fasces sit admittenda?*

*Negant id communiter propter virtutum Imperatoriarum defectum.* Primò dicunt, non instructam esse foeminam, *Prudentiâ, cum non tam ratione, quam affectibus ducatur, juxta illud Ciceronis: Abundat Mulier audacia, consilio & ratione destituitur.* Deinde denegant foeminæ constantiam, eò quod in sola inconstantia, soleat esse constantissima. Tertiò Taciturnitatis laude carere dicunt foeminam, quod illa nomine omnium apud Comicum testatur: *Loquacula, dicens, omnes sumus, nec ullam repertam fuisse mutam dicunt ullo in seculo.* Deniq; desiderant in foeminis animi moderationem, in consiliis invenicendis, celeri-

*celeritatem, clementiam & id genus alias virtutes. Verum hæc prædicata omnibus denegare, nimis periculosum, singulis verò conferre experientia contrarium est. Nos pro decisione quæstionis distingvimus inter regna, quorum aliud Electitium, aliud successivum. In illo, ubi <sup>æp. 150.</sup> solent eligi, haud facile admittetur fœmina; at in hoc, si mascula deficiat proles, fœminam succedere nil obstat.*

*Qu. XIII. An Filius à Patre nondum Principe natus & sic prior genitus, preferendus in successione Filio à Patre Principe genito?*

Pro utroq, multas adducit Leges Schönbornerus lib. 2. c. 10. sed sine decisione addita. Alii plurimas superaddunt rationes & Exempla, & modò pro hoc, modò pro illo sententiam ferunt decisivam. Nos nihil moti aliorum Autoritate pro Primogenito militamus. *Distingvimus autem ante omnia inter Primogenitum legitimum & illegitimum. Illegitimus sive Spurius, si vel maximè fuerit legitimatus, adeò ut pro legitimo habendus, in successione tamen ejus ratio habenda non est, si quidem regulariter non admittatur ad feuda minora, multò minus ad majora. Deinde distingvimus inter primogenitum, qui vel est mente captus, vel fatuus, vel alterius famosi & notabilis defectus, & hic in Aurea bulla cap. XXV. excluditur; & quatenus sana mentis & successione dignus est, atq, hic omnino preferendus, quod facile constat, tum ex simplici primogenitura prerogativa, Jure divino introducta, Jure gentium & natura comprobata, Juris quoq, civilis Autoritate fulcita & canonizata, ut prolixè probant Politici; tum ex comparationis natura, sive respiciamus Patrem sive filium. In Patre non tam adhærens est respicienda Qualitas, quàm filiationis substantia, quia non illa, sed hæc generat; In filio primogenituræ jus radicum est, non in Patre. Non ergò tam Pater, quàm filius primum genitus est considerandus. Accedit & insuper Prudentiæ majoris præsumtio in Primogenito. Imò si is, qui Patre nondum Principe natus, indignus esset dignitate Imperatoriâ, propter hanc causam, quod Pater Princeps nondum fuerit, sequeretur nullum filiorum ejus Pa-*

tre demortuo, nec amplius hominē ac Principe existente, succedere posse. Exemplis pugnare nolumus, quippe quæ utrinquē extant plurima, majora tamen & luculentiora nostra ex parte passim sunt obvia.

*Qu. XIV. An Tyranni à subditis interficiendi?*

Non hīc disquiritur, *An Tyrannorum Imperium in se sit diuturnum*; Ita namquē verum, quod Poëta dicit:

*Nalla Tyrannorum vis diuturna fuit.*

*Sed utrum illud imperium per Tyranni internecionem à subditis minus durabile sit reddendum, quod negamus, sive titulo, sive exercitio, sive utroquē modo talis sit Tyrannus.* Potestas enim ejus à DEo est, quā quū abutitur ipse, non subditi, sed ipse rationem DEo, Judici supremo, reddere cogitur. Deinde *distingvendum inter Tyrannum verum & apparentem.* Non dicendus statim Tyrannus, qui à Papa exautoratur, vel ob hæresim, vel aliam ob causam ineptus ad regnum tractandum judicatur, vel qui minus accuratam Reipublicæ habet rationem, vel unicum atquē alterum actum Tyrannicum edit, sed qui omnes actus Tyrannicos vel saltem potiores perpetrat, adeò ut omni studio eò collimet, quò Reipublicam totaliter destruat & funditus evertat. Nec huic vitam statim adimenda, sed coercendus ille est, corrigendus & ad leges fundamentales adducendus, non deponendus, multò minus interficiendus. Istudque licitum est non cuilibet de plebe homini, sed illis, qui publicā in Politia pollent Autoritate, Ephoris Regni, Statibus & Magnatibus ejusdem. Quod si verò hæc omnia media fuerint tentata prius, nec tamen quicquam proficere potuerunt, tunc concedimus, quod Tyranno ab Ephoris regni & verbis & armis sit resistendum, quū melius sit, hominem furiosum perire, quàm totum populum, leges, judicia, jura, libertatem, religionem &c. interire.

*Qu. XV. An Aristocratia melior Democratia?*

Iisdem fermè rationibus & distinctionibus hīc utimur, quibus utebamur quæstione VI. & pro affirmativa colligimus ita: *Quæcunquē forma magis ad simplicitatem accedit, ea perfectior est alterâ, quæ à simplicitate recedit; Atqui forma Aristocratia ad simplici-*

*simplicitatem magis accedit, Ergò. Hoc argumentum firmis-  
simum est, de Aristocratiâ Essentia, si fuerit sermo; Quod si verò  
Existentiâ ejus spectetur, prout non rarò multis Magnatum sedi-  
tionibus & amulationibus scateret, ita sæpè præferenda videtur  
Democratia; aliàs hæc, quia ad multitudinem magis inclinât,  
quàm cæteræ Rerumpublicarum formæ, & hæc ratione citius  
faciliusq; turbis exposita est, quàm reliquæ, formis aliis infe-  
rior & imperfectior censetur.*

*Qu. XVI. An unus in Aristocratiâ habeat Im-  
perium in subditos?*

Neganda hæc est quæstio, eò quod summa potestas penes  
Optimates sit *indivisim*. Considerari tamen possunt subditi vel ut  
*singuli, vel ut universi*. Habet quidem unus ex Optimatibus  
Imperium in singulos, sed non in universos. Deinde objecta  
sunt distinguenda. Res quædam sunt leviores ac privatae;  
quædam graviores ac publicæ. In illis facilius Optimas pote-  
statem exercet, quàm in his. Deniq; consideratur unus ille  
*ἢ ὡς ἀποστολῆς ἢ ὡς ἀποστολῆς* vel absolute, vel respectivè. Absolute im-  
perium exercere non potest, benè tamen respectivè, quatenus  
reliquorum consensu imperat & vicariam quasi reliquorum  
potestatem exercet.

*Qu. XVII. An summa potestas inter plu-  
res esse possit?*

*Machiavellus* denuò hîc, ut in aliis multis, dissensum suum  
ostendit, negans, quod ullum imperium penes plures pari po-  
testate pollentes esse queat. *Fundamentum negationis est con-  
cordiæ negatio*. Verùm si nullum aliud superat fundamentum,  
valdè infirmum & lubricum est. In concordia enim & ami-  
citiâ requiritur pluralitas, aut ad minimum dualitas persona-  
rum, quùm debeat esse subjectorum reciprocatio in amicitia.  
Deinde potestas illa Reipublicæ non est penes plures singulos, sed uni-  
versos. *Indivisim* illam habent potestatem, non *divisim*. Ur-  
gent potestatem illam esse summam & unam. Respondemus,  
distincta sunt, esse unum, & esse penes unum: esse plures, & esse  
penes plures. Una quidem illa potestas est, sed non penes  
unum.

unum: pluralitas in eâ nulla est, est tamen penes plures. Si quis excipiat: *Multiplicatis subjectis, multiplicantur res ipsæ.* Responsio in promptu est: *Multiplicatis subjectis adæquatis & solitariis, res ipsæ multiplicantur.* Jam negatur, quod in Aristocratiâ unus aliquis constituat subjectum adæquatum summa potestatis, sed omnes simul sumti hoc præstant.

*Qv. XII. Quomodo ἀριστοὶ ab officialibus differant?*

*Convenire videntur quoad pluralitatem, maximè tamen differunt, & quidem vicibus non unis. Differunt enim 1. ortu quia ἀριστοὶ à nullo ratione potestatis suæ dependent; officiales verò dependent. 2. statu, ἀριστοὶ summum constituunt Magistratum; Officiales intermedium tantum absolvunt. 3. objecto, optimates, totius Reipublicæ curam gerunt; Officiales verò certum tantum subeunt officium. 4. causa, Optimates Reipublicæ sunt causa Principalis; officiales verò causæ Instrumentales. Et deniq; 5. numero, utrobique quidem est pluralitas, major tamen respectu Officialium, & minor respectu Optimatum.*

*Qv. XIX. An Democratia habeat bonam Reipublicam formam?*

*Non desunt rationes dubitandi, quæ bonitatem Democratia infringere posse videntur, quum 1. Democratia Reipublicam non constituat, sed destruat. 2. Homerus in antea citato versiculo dicat:*

*ἐν ἀγαθὸν πολυκοιρανίῃ, εἰς κοίραν & ἕσθω.*

*Et 3. absurdum valdè sit, universos simul imperare & parere. Verum hæ rationes videntur saltem infringere bonitatem Democratia, non verò ὄντως infringunt. Quoad primam rationem, respondemus 1. distinguendo inter Reipublicam ut sic destructionem; & inter eam, quæ ratione Reipublica talis vel talis est. Democratia non tollit aut destruit Reipublicam ut sic, sed saltem talem vel talem, h. e. Monarchiam atq; Aristocratiam. 2. distinguimus inter Reipublicam statum; & imperandi actum. Ille satis bonus est, hic verò nonnunquam corruptus valdè existit, quando scilicet omnes actu imperare & omnia corrumpere, atq;*



atq; turbare conatur. *Quoad alteram* dicimus 1. non loqui  
*Homerum simpliciter, sed secundum quid, alias quoq; Aristocratia*  
foret excludenda. 2. loqui eundem in statu bellico, non peccato.  
Concedimus facile, in bello unius administrationem meliorem  
esse, quam plurium. *Quoad tertium* Respondemus denuo  
*per distinctionem inter Imperii statum; & imperandi actum.* Im-  
perii quidem status seu imperandi fundamentum est penes  
populum, actus tamen imperandi penes illos, quibus potestas  
ea a populo commissa est. Deinde considerantur cives in Demo-  
cratia vel ut universi, vel ut singuli. Illi imperant, hi vero sunt  
subditi. Illi sunt *δημοκρατῆρες*, hi vero *δημοκρατέμενοι*. De-  
niq; actus imperandi vel est mediatus, vel immediatus. Populus  
non imperat immediatè, sed mediatè per Officiales & depu-  
tatos.

### *Qu. XX. An detur Respublica Mixta?*

*Affirmativam* probavimus supra ex *Majestatis summa di-*  
*visione.* Constat idem porro ex *Reipublica mixta natura & de-*  
*finitione,* quæ in eo consistit, ut penes unò plures summa po-  
testas divisim esse possit. Sive ergò misceantur simplices  
unius generis inter se, sive distinctæ formæ, mixtio nihilo se-  
cius concedenda erit. Confirmant idem *Exempla Rerumpu-*  
*blicarum mixtarum.* 1. *Lacedæmoniorum,* quæ Respublica, ut  
quidam colligunt, ex Monarchia, Aristocratia & Democratia  
mixta fuit. 2. *Veterum Romanorum,* ubi regia potestas fuit in  
Consulibus, Aristocratia in Senatoribus, Democratia in con-  
ciliis populi. 3. *hodiernæ Reipubl. Romanæ,* quæ ex Monarchia  
& Aristocratia mixta dicitur &c. Hinc apparet, nos non loqui  
1. de illegitima *Rerumpublicarum confusione,* neq; 2. De tali mix-  
tione, ubi Rex, Optimates & populus vicibus alternis imperant,  
ita quidem, ut optimates tunc, quando imperant, & populus etiam  
tunc, quando fasces imperii tenet, indivisim summam potestatem  
habeat, sed 3. de tali, uti dictum, ubi penes unò plures summa  
potestas divisim est. Opponunt oī *ἀντιλέγοντες* 1. nullum da-  
ri Exemplum *Reipublicæ istiusmodi mixtæ.* Respondemus 1. fal-  
sum hoc esse, *Exempla jam sunt adducta.* 2. sit ita, nullam  
repe-

reperiri, nec hactenus repertam esse talem Rempublicam, inde tamen Existentiâ ejus possibilis non est removenda. *Urgent* 2. simile de Elementorum mixtione, quod aqua cum aqua, aër cum aëre, ignis cum igne, terra cum terra nullam mixtionem faciat: ita nec Monarchiam cum Monarchia, Aristocratiâ cum Aristocratiâ, Democratiam cum Democratia mixtionem posse facere. *Respondeo* 1. *diversam esse rationem mixtionis Elementorum & Rerumpublicarum.* Illa enim physica est, hæc politica: illa partium est similarium; hæc quoq; dissimilarium. 2. Licet Respublicæ non semper specie differant, differunt tamen potestates, quæ huic parti & quæ alteri tribuuntur. Ita sanè potestas constituendi Magistratus alia est à potestate leges ferendi, & hæc alia à potestate bellum gerendi. 3. *posito*, esse inter hæc Exempla identitatem, nulla tamen alia profectò erit, quàm, ut sicuti præter corpora simplicia in physicis corpus quoq; mixtum datur: ita & præter Rerumpubl. species simplices aliqua quoq; mixta sit concedenda.

*Qv. XXI. An status Romani Imperii mixtus sit ex Monarchia & Aristocratiâ?*

*Pro Democratia* hæc in Republica nemo militat, quoad modum verò administrandi eandem, aliis videtur status Monarchicus, aliis Aristocraticus; quoad modum obtinendi, summa potestas divisa videtur, ita ut partim sit penes Imperatorem, partim penes Electores, adeò tamen, ut status Monarchicus præmineat.

**TANTUM!**

DISPUTATIO POLITICA SEXTA

De

Majestate,

PRÆSIDE

M. JOH. MANITIO, Elect. Alumno

& Fac. Phil. Adjuncto,  
*publica ventilationi exposita*

JOHANNÉ ROSA, Svevophordô-Franco,

*die 13. Aprilis, horis matutinis.*

SECTIO I. Θελην.

Θεσις I.

**M**ajestas est summa potestas in Civitate ubiq;  
*Ex Georgis I. Finem excipiunt media Rempublicans*  
*constituentia, qvalia sunt, Imperantes atq; subditi seu*  
*obedientes. Per Imperantes intelligimus eos, qui*  
*summâ gaudent potestate, & de illis hîc solliciti erimus, de o-*  
*bedientibus verò suo loco in sequentibus.*

2. Dicitur *Majestas juxta Festum Grammaticum à magni-*  
*tudine*; vel rectius juxta *Becmannum in Originibus à Majus,*  
*veluti à tempus tempestas, à Venus Venustas &c.*

3. Ambiguitate haud caret *Majestatis* vocabulum; *Mo-*  
*dò* enim notat *Majestas* potestatem publicam, sed non summam;  
*modò* talem, quæ superiorem non habet, ut hoc in loco.

4. Huc pertinet *distinctio Majestatis in realem & perso-*  
*nalem. Hanc* tribuunt certæ Personæ & inferiorem vocant;  
*illam* populo & legibus regni fundamentalibus ascribunt, su-  
*perioremq;* nuncupant. Sed *contradictionem in adjecto com-*  
*mittunt,* dum *Majestatem* dicunt, & inferiorem faciunt, *Maje-*  
*stas* ubi est, summa est, quæ præter Deum his in terris superio-  
*rem* non agnoscit, atq; sic summa est, & non summa, corpus  
*immateriale, homo irrationalis, sensitivum inanimatum.* Si-

Λ

ve

ve igitur realis nuncupetur, sive personalis, una tamen eademq; potestas est. Qvis dicere velit, Monarcham universò populò, & legibus fundamentalibus inferiorem, quem tamen omnes supremum agnoscunt?

5. Nuncupatur aliàs ἀρχὴ ἐξουσία, κύριον πολύτευμα, ἀξίωμα, ἀυτοκρατεία, κυρία ἀρχή, δύναμις, καὶ ἀρχὴ πολιτικὴ, Bodin. lib. 1. de Rep. c. 8. Alii ἀγίαν δύναμιν seu βασιλείαν vocant. Latinis dicitur summum imperium, summa potestas, Augusta Autoritas, Celsitudo Principum, Jura imperii, sacra Regni. Jacob Patriarcha Gen. 49. 10. מַשְׁכָּבִּי, רֹדֶפֶת sceptrum, virgam, regiam Autoritatem, Legislatorem &c. vocat.

6. Definitio realis constat genere & differentia. Genus est potestas. Latiùs enim patet, quàm Majestas. Ista verò latitudo coarctatur per differentiam reliquis verbis contentam, ubi vocatur, 1. *summa*, eò quòd in Republica superiorem non agnoscat. 2. *in Civitate*, quòd ipsò innuitur *subjectum*, nempe civitates, seu Republicæ, in quas forma, vel Monarchica, vel Aristocratica, vel Democratica est introducenda per Majestatem, atq; sic à Patrefamiliàs differt, quippe qui potestatem summam, seu Majestatem in domo, non in civitate habet. Denique 3. additur *ubiq;* scilicet in omnibus Imperii partibus & provinciis, sive plures, sive pauciores fuerint.

7. Causa Majestatis vel universalis iterum est, vel particularis. Universalis est solus Deus, à quo potestas illa summa unicè dependet, quam dependentiam agnoscunt etiam Principes, quoniam se regnare profitentur ex Dei gratia: Von Gottes Gnaden Wir &c. Particularis est populus, qui eam potestatem confert in regno uni, in Aristocratia optimatibus, &c.

8. Finis itidem vel universalis est, gloria nempe Dei, cujus simulacrum quasi est gloria & Majestas Principis; vel particularis, publica scilicet tranquillitas per legitimam administrationem conservanda.

Θέσις II. Majestas totum potestativum est, ex variis partibus aggregatum.

Ἐκθεσις I. Totum nuncupatur, non essentialiter, sed integrale; non integrale physicum, sed analogicum. Idem de partibus sentiendum.

2. Partes

2. *Partes istæ regalia vocantur, sed rectius jura & summa variis in rebus potestates.*

3. *Distinguntur illa jura in majora & minora. Majora vocantur, quæ Imperatoris respiciunt personam, eamq; demonstrant; Minora communicabilia dicunt inferioribus Magistratibus. Verum ut ex descriptionibus patet distinctio est sine fundamento, adeoq; ad æquivoca pertinet; non secus atq; distinctio Majestatis in realem atq; personalem. Minora jura nulla sunt, sed omnia summa & necessaria, adeo, ut si unum saltem à Majestate tollatur, eadem integra non amplius consistere possit.*

§ III. Primum inter jura Majestatis, quod refertur, est potestas ferendi leges.

§ I. *Agimus hic de Majestatis juribus, quatenus talia sunt. De Effectis sive potius de objectis, circa quæ versantur, subsequentes nos docebunt disputationes.*

2. *Totum potestativum Majestas quum sit, eadem quoq; divisibilis erit varias in partes. Quicquid enim totum est, & ex partibus constat, illud quoq; in eadem dividi potest; Atqui summa potestas, seu Majestas totum est. Ergo.*

3. *Dividitur autem in partes sibi competentes. Sicuti enim totum essentiale in partes essentielles; totum integrale in partes integrantes, perfectionale in suas perfectiones; Ita quoq; potestativum in suas potestates quasi partes.*

4. *Quod autem hæc potestas Majestati competat, illud adstruimus ita: Cujuscunq; est imperare, illius quoq; est leges, ut imperare possit, legitimè sancire; Atqui Majestatis est imperare. E. Minor sibi constat, Major verò inde patet, quia tutius ex lege, quam arbitrio judicatur, eò quod turbidi motus judicium corrumpant, qui nulli sunt in lege, teste Philosopho lib. 3. Polit. c. 10.*

§ IV. Secundò recensetur locò jus extremæ Provocationis.

§ I. *Hæc fluit ex præcedenti. Q. enim habet potestatem ferendi leges, ad illum quoq; à legibus concessa est Provocatio. Atqui Majestas persona est, quæ habet potestatem ferendi le-*

ges. E. Minor ex præcedenti sua radiat luce; Major verò inde probatur, quia provocatio fit à legibus, quas, quùm Magistratus inferior non rectè interpretetur, interpretationem à summo Principe quis petere cogitur.

2. Potest quidem Provocatio institui ad inferiorem, nonnunquam, sed hæc non est ultima & extrema, nec adeò propter inferiorum sæpè avaritiam, injustitiam, & iniquitatem conducibilis; *Ultima tamen provocatio non fit, nisi ad summum Principem immediatè.*

§. V. Ultimam Provocationem excipit potestas instituendi Magistratus.

Ex §. I. *Magistratus vel sunt generales, vel speciales. Illi immediatè à summa constituuntur potestate; Hi verò ab istis nonnunquam ordinantur indultu Principis, & ad ejus mandatum generale, vi cujus specialia ipsi suppeditant.*

2. Et quamvis Princeps nonnunquam in eligendo Consiliario intimo reliquorum exigat consilium, magis tamen immediatè videtur agere, quàm quùm eligitur Consul aut Prætor in Civitate.

3. Quod verò hæc potestas Majestati propria sit, evincimus tali argumentò: *Quicumq; imperium & Jurisdictionem precariò & dependenter obtinet, ille habet eam à potestate superiori ascendendo usq; ad summam; Atqui Magistratus inferior obtinet suum Imperium & jurisdictionem precariò & dependenter. E. Major sibi satis constat & probari potest facilè hunc in modum: Quicquid ab alio dependet, dependet vel à superiori, vel ab æquali, vel ab inferiori. Ab inferiori non potest, quia nullus Effectus nobilior suâ causâ; nec ab æquali, quia sic superiorem non agnosceret, Ergò à superiori. Minor probatur vel ex ipsa denominatione, quoniam dicitur inferior Magistratus; stabit ergò Conclusio.*

§. VI. Quarto numeratur jus exigendi tributum & vectigalia.

Ex §. I. Hoc jus Majestaticum est, quia est probatio subjectionis. *Quicquid est probatio subjectionis, illud jus Majestati-*

staticum est; Atque jus exigendi vectigalia & tributum est probatio subjectionis. Ergo.

2. Hæc exiguntur in mercium usu, quando importantur, & exportantur, vehuntur & invehuntur merces; illud ratione bonorum & personarum extra mercium usum penditur solet.

3. A vectigalibus maximè nostro in Imperio immunes sunt Principes, Comites &c. Persona item Ecclesiastica & studiosi.

4. Exigenda sunt tributa non à re quavis, non ex lotio ad Exemplum Vespasiani, qui propterea malè audit; non ex usu aëris, aut umbra; non ex meretricia artis exercitio, ut Pontifex Romanus, cui alias de jure, quatenus Pontifex est, hoc jus planè non competit, sed à rebus licitis, quales sunt agri, aurifodinae, merces, persona &c.

5. In Exigendis tributis Princeps adhibeat proportionem non arithmetica, sed geometricam, cum justum non sit, pauperem tantum conferre, quantum dives conferre solet.

§ VII. Quinto refertur loco jus tractandi arma & pangendi pacem.

Ex § I. Hæc jura conjungit Philosophus propter consecutionem, quam ad invicem habent. Esse verò eadem Majestatis jura vel inde patet, quod universam concernant Rempublicam. Quæ autem universam concernit Rempublicam, id publicæ potestatis est.

2. Consistit non tantum in Cura armamentarii publici, sed & in potestate disponendi statuendiq; de ducendo bello.

3. Antequam autem bellum suscipiat Princeps summus, consideret probè eventum bellorum eadem in Republica, antè susceptorum, facultates Reipublicæ proprias & facultates quoq; adversarii.

4. Susceptio bellò non semper opus est, ut summa potestas præliis sese immisceat, quum per alium facile Ducem possit administrari. Reservare autem debet sese melioribus temporibus, ut salvam ac incolumem præstare possit eandem, quum Principis salus, Reipublicæ quoq; salus & sit, & jure merito habeatur.

5. Transcribimus hinc & Majestati jus pangendi pacem, cum belli finis sit, & illud sequatur immediatè, non secus atq; subila comitatur phœbus.

§. 119. Sextum Jus Majestaticum est Potestas  
Sanciendi foedus.

Ex §. 1. Foedera nonnunquam sunt necessaria ob civi-  
tatis impotentiam & imminens saepe belli cum magis poten-  
tibus suscipiendi periculum: nonnunquam libera, quando re-  
bus bene stantibus amicitiae & commerciorum causa Princeps  
cum alio vicino Principe aut alia Republica eadem pangit.

2. Et tale foedus sanciendi non nisi summae competit potesta-  
ti, quia semper debet esse publicum, pactum quidem inter priva-  
tas potest esse personas, non verò foedus.

3. Instituuntur autem foedera cum notis, potentibus &  
vicinis vel defensionis, vel commercii, vel utriusq; causa ob ho-  
nestatem & utilitatem, nonnunquam ad tempus tantum, non-  
nunquam etiam in perpetuum.

§. 120. Hanc potestatem comitatur jus cudendi  
Monetam.

Ex §. 1. Hoc jus, quia publicae utilitatis interest, ut  
monetae bene prospiciatur non tantum Majestaticum est ratione  
quidditatis, sed & ratione Quantitatis, h. e. Princeps, cui pote-  
stas circa Monetam summa est, non tantum monetam cudere,  
sed & valorem illi indere potest.

2. Nec de jure isto aliquid decedit, sive princeps, penes  
quem Majestas ista est, ipsemet monetam cudendam curet, sive  
aliorum nummos recipiat, illisq; valorem concedat, quem valo-  
rem & ipse non quidem temere, sed gravem ob causam augere  
& minuere potest.

3. Conceditur haec ipsa potestas nonnunquam aliis in-  
ferioribus, proprie tamen non communicat, quippe quae com-  
municatio Majestatis infert imminutionem, non item con-  
cessio.

§. 121. Ad jura Majestatis referunt vias publi-  
cas, flumina navigabilia, portus, ripatica, thesauros in  
locis publicis inventos, & res pro derelictis habitas.

Ex §. 1. Quaecunq; enim nullius sunt, nec proprium habent  
dominium, illa agnoscunt dominum Universalem; Atqui modo re-  
censita proprium Dominum non habent. Ergo. 2. Eo-



2. Eodem modo, quò de illis agitur hoc in loco, etiam de Venatione agi poterit, & quamvis jure divinò, atq; naturali jus Majestatis non sit, longâ tamen concessione ac præscriptione partim jure superioritatis in publicis, partim jure immemorialis præscriptionis in privatis subditorum agris jus Majestaticum audit.

3. His annumeranda potestas conferendi dignitates, creandi Duces, Comites, Barones, Nobiles &c. Item jus convocandi comitia & cura circa religionem. Nam censente ipso Ethnico Philosophò Aristotele l. 7. Pol. c. 8. Cultus divinus ex eorum numero est, sine quibus Civitas esse non potest.

4. Quæcunq; Ergò Majestas jus Circa religionem & res sacras non habet, ea summa esse nequit, quùm pars haud exigua ejus sit sublata. Unde consequitur non Pontificem Romanum, sed Imperatorem Romanum circa religionem aliquid ordinandi & constituendi potestatem habere, quod & Exemplis Constantini M., Theodosii Majoris & Minoris, Marciani, probari potest.

## SECTIO II. ΖΗΤΗΤΙΚΗ.

### Quest. I. An Majestas ante Bodinum fuerit definita?

Gloriatur Bodinus, nullum vel Philosophorum, vel Jurisconsultorum ante eum Majestatem definivisse, & hoc tanquam insigne vitium traducit, sed parùm cautus. Evolvere tantùm debuisset, ut taceam Jctos, ea, quæ habet Philosophus lib. 3. Pol. c. 6. & 7. ubi eam ita definit: τὸ πολίτευμα ἐστὶ τῆς πόλεως πινυταχὲς κέρμον. Nec juvat eum differentia inter πολίτευμα & πολιτεία, cùm Republica non sit Majestas, nec contrà. Respondemus enim statim, hæc esse omninò synonyma, si non Logica, tamen Grammatica; si non ut Ensis & Gladius, tamen talia, qualia sunt homo & animal rationale. Sic Majestas penes unum nihil aliud est, quàm Monarchia; Majestas penes paucos nihil aliud, quàm Aristocratia &c. Atq; ita se habent πολίτευμα & πολιτεία.

206

*Questio II. An Potestas rectè constituatur genus  
Majestatis?*

*Affirmativa nostra est. Huic tamen obstat, quod supra Potestas inter Majestatis synonymia fuerit relata, quorum Synonymorum unum per alterum defini nequeat, cum sic idem per idem definiretur. Sed Resp. 1. distinguendo inter id haberi & esse; Habentur quidem pro synonymis, sed non sunt. 2. Notamus, Potestatis vocabulum non inferre hic actus oppositum, nec agendi potentiam; sed imperium & licentiam imperandi, non inferiorem, sed summam. Atq; sic Potestas, cum de summa æquè ac inferiori dicatur, Majestas verò non nisi de summa, latior erit proximè, veriq; generis vices subire poterit.*

*Qu. III. An divisio Majestatis in realem & Personalem rectè ad æquivoca fuerit relata?*

Factum id esse negare haud possumus, idq; rectè factum sibi probavimus, idemq; hoc in loco contra cujusdam recentioris strophas defendemus. Est quidam ex Neotericis, qui non nisi ex mera calumniandi & contradicendi libidine reliquis Recentioribus ob hanc divisionem negatam adulationis fucum tribuit, & malitiosè affricare nititur. Verùm criminis, cujus alios reos arguit, reus ipse arguendus, quicquid detrahit Principi, illud tribuit subditis non nisi ex mera adulatione, ut benevolam vulgi capter auram, & facit ex Rege non nisi nomine talem, quàm veram & summam potestatem ei non tribuat. Aut si veram tribuit, tollit Rempublicam simplicem penitus, eamq; omnem mixtam statuit. Nam si particula Majestatis divisim est penes populum, particula verò penes Regem aut Optimates, quid inde oritur aliud, quàm Respublica mixta? Dicit ille, tollere Majestatem realem & non distinguere eam à Personali, est Tyrannidem & absolutum Dominatum introducere. Argumenta duo contineri videntur his in verbis: Primum est: Quicumq; non distingvit Majestatem realem à personali, ille tollit realem; At qui hoc facimus. Ergò. Verùm unde probet, aut probare velit Majoris consequentiam, ipse videat. Nos concludimus potius ita: Quic. non distingvit Majestatem

*statem realem à Personali, ille realem non tollit, sed potius constituit.*  
Ratio consequentiæ ea est, quia si personalis realis quoque potestas est, non poterit ea huic contradistingvi. Aut igitur concedat Personalem Majestatem esse nominatenus tantum talem, aut Realem. Si illud concesserit, faciet Majestatem non Majestatem, Regem non Regem, Principem non Principem, quia quod verbis tantum tale est, re ipsa tale non est, sicut Herodes nomine tantum vulpes, reverà talis non est; sin hoc, frustra eam huic contradistingvit. *Si Excipiat: Quæc. distingvuntur subjectis, ea distingvuntur realiter; Atqui Majestas realis & Personalis distingvuntur subjectis. Ergò. Resp. ut nihil dicam de Majore, Minor tamen infert illud, quod antè innuimus, scilicet negari ita Remp. aliquam esse simplicem. Aut enim illa potestas omnis est penes Principem, aut particula tantum. Si omnis, nihil utique habebunt subditi; Sin divisa, erit Respublica mixta. Alterum tale est: Quic. Majestatem realem non distingvit à Personali, ille Tyrannidem & absolutum Dominatum introducit; Atqui nos hoc facimus. Ergò. Sed iterum quàm maximè majoris vacillat consequentia, quia verò sine probatione addita est, eam facilitate, quàm affertur, iterum rejici potest. Nos in contrarium colligimus ita: Quic. Majestatem realem Personali contradistingvit, ille Ochlocratiam, aut ad minimum mixtionem Reipublicæ introducit. Consequentiæ firma est, quia & Personalis vera est, & realis vera est Majestas; Aut igitur populus habet potestatem omnem, aut divisam; Si hoc, oritur mixtio; Sin illud, Princeps nihil habebit, & Ochlocratia erit, ubi quilibet subditorum suæ tantum rei familiaris curam habet, non verò Reipublicæ; si enim Reipublicæ curam haberet populus, haberet utique & principis, aut summæ aliàs Potestatis curam, quum salus Principis, sit publica salus. Contradictorium autem est, habere curam rei privata, & habere curam Reipublica. Manet ergò nostrum asertum, unicam tantum in indivisibili positam, eamque incommunicabilem, summam & plenariam esse potestatem sive eam personalem, sive realem quis nuncupare velit, adeò ut divisio illa non nisi distinctio sit æquivoci in sua æquivocata. Distinctiones, quibus ille ad nostra respondet argumenta satis sunt bona, sed in applicatione*

tionem falsissimam, in explicacione absurda & contradictoria. Falsissimum namque est, communicari Majestatem Principibus saltem ratione usurpationis & χρήσεως, non verò ratione κτήσεως & possessionis. Qui enim illò modo Majestatem habet, primario non habet, sed saltem secundario. Deinde falsum est ratione usurpationis, concessisse populum Principi Majestatem, quia Populus tali modo Majestatem nunquam habuit. Quod quis autem non habet, alteri dare non potest. Tertio distinguendum est inter regnum successivum & Electivum. In regno successivo Princeps utique habet potestatem successorem sibi constituendi; In Electivum vero, quamvis ab Eligentium mutuo dependeat consensu, quatenus tamen alteri Majestatem conferunt, eandem retinere non possunt. Distinguendum ergo quarto inter regnum constituendum & constitutum. In regno constituendo ante constitutionem concedimus populo Majestatem ratione possessionis, at in constituto longè aliter sese res habet. Quinto distinguimus inter communicationem κτ̄ μετακβασιw & κατ' ἐνωσιw seu κτ̄ συνδυασιw. Non est Majestatis communicatio inter substantias unitas, sed separatas, Ergò hæc κτ̄ συνδυασιw communicatio hîc locum habere non poterit, sed talis, quæ est inter substantias separatas. Ea verò non est κτ̄ μέθεξιw, quod facile constat, nec κατ' ἀλλοποιήσιw, quod nec adversarius asserit, nec κτ̄ γρησιw, ut supra demonstravimus, neque κτ̄ κτήσιw, quod itidem adversarius non concedit, Ergò, cum jam alia realis communicatio amplius non habeatur, erit illa κτ̄ μετακβασιw, quâ communicatum de certo communicante transit in illud, cui communicatur, adeò, ut ibi non maneat amplius, sicuti quando pecuniam communicamus alteri, eam sane non retinemus: ita quando subditi in regno constituendo Principi, aut oprimatibus etiam communicant summam in se potestatem, eam retinere amplius non possunt. Porro absurdum est, quod dicit, habere saltem Principem summam potestatem administrandi, non conservandi, Quasi verò ille, qui Rempublicam administrat, eam quoque non conservet? Quid enim, quæso legitima Reipublicæ administratio aliud est, quàm ejusdem conservatio? Administrare enim nihil aliud est, quàm regere

regere hoc in loco. Aliàs si propriè sumere velit, prout jure nostro Administrator est is, qui alienò, non suò nomine agit, caveat, ne Demagogorum Patronus existat & ex Principe Ministrum faciat. Præterea absurdum judicat ille, quod Princeps semetipsum de solio deicere possit, aut quod sanus aliquis hoc fecerit. Sed videat, ne crimen læsæ Majestatis incurrat, dum illos Principes malè sanos judicat, qui de solio Regio, aut Majestatico se demiserunt. Prodit autem eò ipsò summam suam in historia ignorantiam, dum facta ea esse inficiatur, quæ tamen reverà facta sunt, quod *Exemplum recens*, ne longiùs eamus, vel *ipsius Caroli V.* testatur, qui vivus imperium deposuit & Fratri Ferdinando spontè cessit, teste Sleidano & Thuano Historicis fide dignis. Idem *de Diocletiano & Maximiano* dicendum, qui quamvis ex infania dicantur sese abdicasse imperio ab *Eusebio l. 8. c. 26.* alii tamen aliam edisserunt rationem, quia scilicet penitus sibi proposuerant, Christianorum delere nomen, & cum vidissent, se id non posse perficere, præ mœrore imperium deposuisse. Idem fecit *Theodosius, Orientis Imperator*, qui post Anastasium victum & Monasterio inclusum & ipse quoq; imperium paulò post deposuit & cum filio Clericus factus est, teste *Theophane in annal. Græcorum.* Idem *de Lothario* aliisq; , quàm verissimum, adeò, ut videamus non tantum actu imperii gubernacula deposuisse nonnullos, sed & penes eosdem stare, illa vel retinere, vel spontè alteri tradere. *Falsum est & hoc*, quòd Proceres, vel populus hanc semper retinuerint potestatem. Nam si retinuerunt, quò, quæso, alteri contulerunt? absurda omnia, imò *contradictorium est*, idem retinere, & tamen alteri tradere. Nec veretur Autor forsitan, ut socios malorum habeat, tantas absurditates & contradictiones præstantissimis tribuere Politicis, quibus ne per somnium quidem talia sentire accidit. Aveo istos audire Politicos præstantissimos, quibus ipse non minus sese annumerat. Scio equidem, multos Cl. Politicorum hanc vovere sententiam, eandem tamen non tanta cum calumniandi & contradicendi libidine, nec cum tanta absurditate, falsitate & temeritate proponunt. Et quamvis aliàs

prolixitatem subterfugiamus, non possumus tamen, quin paulisper adhuc ejus legamus vestigia, falsitatemq; sententiæ manifestemus. *Ad Majestatis indivisibilitatem* respondet ille, per distinctionem inter id, quod divisibile est ratione *Essentia* & *ratione Existentiæ*. Distinctio hæc in se satis bona, sed applicatio denuò falsa. *Comparisonem namq;* instituit inter *divisionem animæ & Majestatis*, sed tertium comparationis nullum addit, forsitan sicut Majestas forma accidentalis, etiam animam formam accidentalem nuncupare satagit, quod in agro physico absurdissimum. Potentiæ quidem animæ accidentia sive formæ accidentales sunt, non verò ipsa anima. *Si dixerit*, Majestatem in se totum potestativum esse, quod in se multas continet partes ad instar animæ; Tunc respondemus, divisibilitatem illam in Majestate ratione existentiæ concedentes, si existentiæ ratione *objectorum intelligatur*, quod nempe alia Majestas sit belligerandi, alia fœdera pangendi &c. *Sin verò ratione subjectorum explicetur*, Reipublicæ ponitur mixtio & tollitur simplicitas, quod expressè apparet ex verbis subsequentiis, ubi dicit: *Alia potestas & aliud exercitium Majestatis competit Principi, & alia potestas atq; exercitium proceribus vel populo.* De Communicata Majestate dicit, quod ea communicetur saltem quoad exercitium, non verò quoad possessionem, & quod alia potestas conferatur, alia retineatur. *Resp. i. valere illud de communicatione*  $\kappa\tau\iota\ \sigma\upsilon\upsilon\delta\upsilon\alpha\sigma\iota\upsilon$ , non  $\kappa\tau\iota\ \mu\epsilon\tau\epsilon\upsilon\beta\alpha\sigma\iota\upsilon$ . 2. *distingu. inter collationem Majestatis totalem & partialem.* Majestas illa collata aut totalis est, aut partialis. Hæc Majestas propriè dicta non est, & si conferatur saltem partialiter, & pars reservetur, talis Majestas non Majestas est, sed Majestatis tantum particula. Si autem totaliter conferatur, sanè pars retineri non poterit, quum totum absente parte non possit esse. *Falsissimum ergò est, dicere Majestatem summam, & tamen limitatam seu restrictam.* Si princeps potestate collatâ privari potest, tunc sanè summam Majestatem non habebit, nec Respublica simplex manebit, sed mixta erit, propter quam ipsam rationem & Remp. nostram Romanò-Germanicam mixtam nuncupamus. Imò contradictorium est, potestas summa & non summa, seu limitata

tata. Dicit quidem contradictionem non fieri secundum idem, sed secundum diversas Majestatis particulas, quæ tamen Majestati non sint contrarie, sicut immaterialitas corpori. Respondemus sit contradictio ratione Majestatis, an illa summa & non summa simul esse possit, quod contradictorium omnino censemus, non secus, ac corpus materiatum & immateriatum. Quando verò particulae Majestatis dividuntur, dividitur ipsa Majestas, adeo, ut divisim non sit penes unum, aut plures, sed penes plures divisim, quam divisionem & Rerump. mixturem concedimus, sed quid hoc ad divisionem Majestatis in realem & personalem? Nec Magni momenti est Majestatis distinctio, quam ultimo profert loco, in plenariam & absolutam, quippe quæ falsis & antea citatis nititur hypothefibus, quasi Princeps tantum esset administrator imperii, non verò conservator & constitutor, ut ita loquar; Mirum, quod non cum Job. Albusio Syndico quondam Embdensi, Job. Miltono & Job. Philippi, reliquisq; Anglorum Regicidarum defensoribus statuatur, Regem ministrum esse, & populum seu plebem promiscuam Dominum: Plenariam enim, quam & administrator habere potest, ascribit justo & legitimo Principi, sed absolutam Domino ac Tyranno, quæ iterum falsa est hypothefis fundamentò destituta suo, quibus cum tota hæc divisio innitatur, remotis jam fulcris, totam eandem cadere oportet.

*Qu. IV. An jura Majestatis rectè dividantur  
in Majora & Minora?*

*Ad equivoca & hanc supra retulimus distinctionem, nec sine fundamento, quum illa sint partes Majestatem constituentes & incommunicabiles. Verum idem ille, qui in præcedente quæstione contrarius nobis erat, contrariari hic non desinit, adeo, ut hinc videas, datò unò absurdò, sequi infinita. Admissò enim hoc, Majestatem divisibilem esse in realem & personalem, eandem ulterius ratione partium quoq; dividi posse concedendum erit. Et sanè dividi posse Majestatem ratione istarum partium non negamus, an verò particula ista majores, vel minores*

sint, ita, ut salvâ & integrâ Majestate una vel altera abesse queat, hoc est quod inficiamur. Supponimus autem primò non quæri hic de Majestatis juribus respectivè spectatis seu ratione objectorum, ita ut majora dicantur, quæ res majores & præcipuas magis pro objecto habent, & minora, quæ minores; sed absolutè, quatenus majestatis jura sunt, & ita unum non magis jus est Majestaticum, quàm alterum. Deinde distingvimus inter unius, vel alterius juris Majestatici concessionem seu delegationem; & communicationem. Concedi & delegari posse alicujus juris Majestatici exercitium alteri sine Majestatis destructione, nulli negamus, communicari tamè haudquaquam potest, utpote quod nihil aliud est, quàm aliquem in summæ potestatis consortium admittere. Dicit autor contrariæ sententiæ, Majora jura esse tantum Majestati Personali propria; minora verò esse communicabilia. Verùm immemor sententiæ prioris jam tribuit majora Principi, & minora subditis, quùm tamen antea majus Majestatis jus tribuerit subditis, quàm Majestati. Majus sanè, imò maximum jus constituere Principem & præscribere Principi leges, quàm jus belligerandi, foedera pangendi &c. Item majus est constituere Magistratum supremum, quod ex mente illius subditorum est, quàm inferiorem assignare, quod ita Principis aut summæ Majestatis foret. Atq; sic propriâ videtur cedere vinetâ. Ut tamen aliquid ad nostra proferat argumenta, dicit, quòd regalia non propriè possint vocari particula Majestatis constituentes, seu Principia, cum potius sint effecta ejus. Resp. negando & distingvendo inter ipsa jura, & eorum effecta, seu rectius objecta. Jura Majestatis non sunt objecta ipsa, sed circa objecta tantùm versantur. Non dicimus, particulam Majestatis esse foedus, vel legem, vel thalerum aut grossum, sed potestas illa circa hæc objecta occupata particula Majestatis est eam constituens. Et si hæc jura Majestatem intrinsecè non constituerent, quid quæso esset, quod eam constituere posset? Subditi Majestatem non constituunt intrinsecè, sed saltem extrinsecè eam producant. Falsissimum itaq; est, quod non ratione Essentiæ suæ distingvantur, sed saltem ratione extrinseci respectus & accidentis. Si quis dicat: Attamen jura inter  
sc



se omninò sunt diversa essentialiter, ut unum non sit alterum. Resp. certum hoc est, inter se invicem & divisivè quando considerantur; quando verò conjunctim & in respectu ad totum spectantur, eatenus totius essentia unica quoq; gaudent. Circa communicabilitatem, quæ movet, ea ex præcedentibus nota supponit; Et quùm ejus sententiæ etiam in præcedenti proximè quæstione factum sit satis, ideò & nos hîc ea, ut jam discussa supponimus. Unde nobis relinquitur, minus rectè jura Majestatis in Majora & minora dividi.

*Qv. V. An Majestas soli Imperatori & Regibus insit?*

Si in concreto de Majestate loqui velimus, pauci sanè Reges hodiè Majestatem haberent; At in abstracto eandem iis denegare haud possumus. Quæritur verò hîc, an soli illi sint, hanc qui potestatem habent? Nos negativam tuemur, quùm non secus optimates indivisim in Aristocratia, & populus quoq; tali modò in Democratia hanc Majestatem, seu summam potestatem habeat, quamvis splendor Majestatis magis coruscet in Monarchia, quàm reliquis formis, interim tamen Majestas ipsa illis non est deneganda. Nec opus est distinctione inter Majestatem generaliter & specialiter acceptam, quasi in Aristocratia Optimates, & in Democratia populus Majestatem saltem generaliter acceptam habeant; Specialiter verò in Monarchia Reges. Nec quicquam titulus Majestatis solis Regibus tributus probare potest, quùm hodiè multi hoc utantur titulò sine re ipsa. Et quamvis Reges omnia Majestatis jura possideant, non tamen propterea reliquis sive in Aristocratia, sive Democratia Imperantibus Majestas deneganda, quùm ab inclusiva ad exclusivam non valeat consequentia.

*Qv. VI. An summa potestas regalia possit concedere Magistratibus inferioribus?*

Concessionem admisimus quæstione quartâ; at Communi-  
catio-

*cationem negavimus, quam tamen semper solent cum illa confundere. Verum quum hæc inferat alicujus in summæ potestatis consortium admisionem, idè eandem salvâ Majestate manente principi concedere haud possumus. Distingvunt præterea semper inter jura Majestatis Majora & minora. In his concessionem valere dicunt, non in illis, quæ reservata vocant. Verum cum lubrico hæc distinctio nitatur fundamento, prior quæstioni satisfacere potest.*

*Qv. VII. Quinam reus habeatur criminis læsæ Majestatis?*

*Respondemus breviter, duobus potissimum modis quem pœnam criminis læsæ Majestatis incurrere posse; Primò quando quis hostili animo aliquid contra eos molitur, qui Majestatem habent: Secundò quando quis ea, quæ Majestatis sunt, fraudulenter ad se rapit, ut si quis leges immutare, aut monetam corrumpere velit. Quâ verò pœnâ criminis læsæ Majestatis rei sint afficiendi, nostrum non est determinare, sed hanc determinationem ac dijudicationem aliis relinqvimus.*

*Quest. IIX. An Majestas sit soluta Legibus?*

*De Majestatis Objectis pluribus in sequentibus acturi sumus; In præsens non nisi generales quasdam quæstiones de Majestate, ejusq; juribus adjiciemus. Quod quidem præsentem spectat, affirmativam defendimus de legibus positivis si eadem intelligatur, non de juribus divinis & naturalibus, quarum respectu Princeps purus & putus homo est. Illarum autem legum ratione superiorem non agnoscit Princeps, sed quia ab eodem lætæ, idè ab eodem quoq; aut tolli aut immutari Reipublicæ commodò id exigente haud difficulter possunt, quamvis in statu ordinario temerè nil sit immutandum. Soluta verò est Majestas legibus positivis quoad vim tantum coactivam, non quoad vim directivam, quæ distinctio totam quæstionem facit expeditam:*

*Qv.*

*Qv. IX. An ratio status legitimus Politica sit finis?*

*Cum honesta utilibus cedunt, ratio status vocatur.* Hæc utilitas non tam publica, quam privata obtinet ubiq; nec sibi quis turpe putat, quod aliis fuit fructuosum. Deploranda hæc quorundam Politicorum sententia est, qui non honestatem, sed utilitatem; non commodum publicum, sed privatum pro fine habent, quam imitanda aut approbanda; imò non tam refutatione, quam relegatione digna. Ratio hæc status est bestia recta ratione destituta solum sequens appetitum. Vel ut apud *Traj. Boccalinum* Apollo definivit & aureis literis Auditorio Peripateticorum Politico inscribi curavit: *Ratio status est jus Diabolicum Principis commodum contra leges divinas & humanas quarens atq; affectans.* Ne tamen quis existimet, nos omnem omnino hoc ipso sustulisse rationem status distinguenda illa erit in perversam & rectam. Non hanc sed illam improbamus. Alias teste *Livio lib. XXIII. c. XIV. solâ virtute, nisi nec potes ubiq; nec expedit.* *Conf. Cl. Cellar. in Pol. p. 17.*

*Qv. X. An Politica constare possit absq; Virtute?*

*Machiavellus Florentinum illud monstrum, & quotquot beluæ huic calculum addunt suffraganeum in fraudibus, dolo, technis, simulatione, dissimulatione omne punctum prudentiæ Politicæ positum esse volunt, adeoq; candorem ac simplicitatem pro stupiditate habent.* Nec multum ab hac sententia alienus est *Justus Lipsius l. 4. Pol. c. 13. ubi Prudentiæ Politicæ leviter aliquid fraudium admisceri posse docet, præsertim turbidò hoc verè pelago, & ubi rectâ portus teneri nequeat, jus atq; fas esse, obliquare sinus & portum mutatâ velificatione assequi, adeò ut ubi pellis leonina non pertingat, necessum sit vulpinam assumere.* Hinc fraudem definit per argutum consilium à virtute & legibus devium, regis regniq; bono. Verum non opus est, ut fraudem svadeamus apud plurimas & plerasq; hodiè nationes usitatam. Quis, quæso, medium hæctenus invenit inter virtutem & fraudem? sanè fraudes, quocunq; fucò pingantur, honestæ & licitæ non sunt. Virtus non debet adjuvari vitio, seipsâ contenta est. Neq; faciendæ sunt malæ sive Regis sive regni causa, ut inde proveniant bona. Non vulnerandus est proximus, ut per medicamentorum applicationem ei beneficiamus. Hominem Politicum quandoq; simulationem, dissimulationem, diffidentiam decere, non negamus, ita tamen ut non opponantur veracitati, fideli & candori, sed ut sint partes Prudentiæ h. e. sumantur pro occultatione eorum, quæ pro circumstantia Personarum, loci, rerum ac temporum occultanda sunt. Machiavelli verò sententia prorsus absurda, impia & blasphemæ est, quum è Diametro pugnet cum ratione veræ Prudentiæ, honestæ.

honestatis, fidei, candoris ac Pietatis, adeo ut relegatione totali digna a  
cordatis & sanioribus merito judicetur Politicis.

*Qv. XI. An Finis in Politica partem ejus Essentialem  
constituat?*

*Videtur finis esse extra rei Essentiam & præcognoscendus potius unà cum  
subjecto, quàm ad constitutionem Politicam referendus. Verùm videtur  
saltem. De finis generali notitia si sermo fuerit, non litigabimus, eam  
in parte extra-Essentiali hauriri posse; At specialis & distincta ejus co-  
gitio atq; tractatio ad essentialem Politicam partem spectat. De sub-  
jecto nulli movebimus litem, utpote de quo certum est, illud in omni-  
bus disciplinis præsupponi & in *ωεγθεωρία* considerari; at de fine in  
Practicis res longè aliter sese habet. Eadem enim ratio est finis in Pra-  
cticis, qualis est Objecti in theoreticis, fatentibus illis ipsis, qui finem à  
constitutione Philosophiæ Practicæ eliminare satagunt. Et sicuti Obje-  
ctum in theoreticis fundamentum est totius disciplinæ, ita ut ejus consti-  
tutionem ingrediatur: ita quoq; se habet finis in practicis. Imo conce-  
dimus quidem finis *θεωρίας* generalem in præcognitis practicis; sicuti  
largimur objecti cognitionem generalem in *ωεγθεωρία* theoreticarum  
disciplinarum; Attamen propterea specialem & exactiorem ejus co-  
gnitionem in essentiali parte non negamus, nec negandum esse ducimus.  
Imò si de Essentia & natura Philosophiæ practicæ est cognita, ad praxin  
deducere, cur finis tractationem ab ejus constitutione excludere velimus,  
non apparet? Eadem ratione & media excludenda forent, quæ non secus  
præcognoscuntur atq;ve ipse finis. Imò si finis præcognitus est, præ-  
cognita quoq;ve sint media necessum est, quia finis post media demum  
sequitur & ex mediis constat. Nec actiones mediorum sine fine esse  
possunt, quùm aliàs frustra forent. Manet igitur affirmativa questionis  
verior, quod, sicuti media certum requirunt finem, & ipse quoq; finis alte-  
ram Philosophiæ Practicæ partem Essentialem constituat, non secus atq; media  
hoc prestare dicuntur.*

*Qv. XII. An Politica rectè distribuatur in duas partes?*

*Theophilus Golius in sua Epitome omnia, quæ octo libris Politico-  
rum Aristotelis traduntur ad quinque refert capita. Thomas Aquinas ad  
quatuor capita præcepta Politicæ revocari posse asserit. Petr. Gregor.  
Tholosanus suam de Republ. Doctrinam in sex & viginti libros distinxit.  
Daneus Politicam suam Christianam in Proemio in septem libros divi-  
sit: Alii referente Danæo l. c. ad tria capita nempe religionem, justitiam*

tiam & Politiam præcepta referunt Politica. Alii præcognito saltem fine non nisi de mediis sibi agendum censent. Verùm nos observantes regulas & requisita legitimæ divisionis in duas partes Politicam secamus, quarum prior agit de fine, h. e. de Republica & dicitur *ουσιατικὴ* seu Reipublicæ constitutrix; posterior verò de mediis ad finem ducentibus, h. e. imperantibus & obedientibus & dicitur *διοικητικὴ* h. e. Reipubl. administratrix. Atq; hæc divisio non tantum fundata est in requisitis legitimæ divisionis, sed & cum methodo analytica in Practicis disciplinis usitata conspirat concorditer.

*Q. XIII. An Politica rectè distribuatur in profanam & Christianam?*

Specificam differentiam hinc non admittimus, utut aliquam ratione subjectorum & adjunctorum differentiam admittere possimus, quod Politica Christiana sit à Christianis adeoq; purior, profana verò ab Ethnicis ac impurior, cum hinc inde quædam sint admista, quæ idolomaniam sapiunt gentilem. Nihilominus si saltem *κατ'εξουσίαν* separentur *ἀπὸ τῶν ἕξω*, Essentialem in iisdem deprehendemus convenientiam, quia lex naturæ seu recta ratio scripturæ S. non repugnat.

*Q. XIV. An Politica Paganorum Deo placuerit?*

Quidam Politicam cum Theologia committunt hostiliter, sed falsò & sine solido fundamento. De Politicis quibusdam iisq; non veris sed caco Politicis idem asserere possumus; Verùm absit! ut idem de ipsa Politica omnibusq; Politicis asserere velimus. Quidam è contrario Politicam Paganorum & eorum virtutes extollunt adeo, ut propterea eos in beatorum thronum elevare haud vereantur. Nos mediâ incedentes viâ, asserimus quidem, Politicam paganorum Deo placuisse, sed non Politicos paganos, adeo ut inde vitæ æternæ heredes fieri potuerint. Distingvimus ergò inter abstractum atq; concretum. Abstractum, seu ipsa Politica Deo omninò placuit, cum in lege tum divina tum naturali fundata fuerit; sed non concretum seu Politicus, & de quo hinc loquimur, Paganus. Res ipsa scil. virtutes illæ Deo placuerunt, verùm non subjecta, quibus virtutes inhærebant.

*Q. XV. Quâ Methodo Politica tradenda?*

Resp. Analytica, ut suprà constitit. Controversia hinc est inter nos & Piccol. introd. ad X. grad. à cap. 14. usq; ad 25. qui totus in eo est, ut probet, unicam tantum esse methodum, quam etiam in omnibus disciplinis observandam urget. Verùm nos prolixitatem evitantes distin-

gven-

*quendam esse existimamus inter ordinem doctrinae seu cognitionis nostrae;  
& inter ordinem naturae seu rerum ipsarum.* Hæc duo confundit Pic-  
colomineus, quod ostendit *Cl. Hornejus l. 1. Eth. c. 11.* Constat enim longè  
aliud esse rem à natura ita produci & eandem à nobis hoc vel illo modo  
cognosci. Etsi quidem nihil rectè cognoscitur, nisi quod percipitur,  
ut in re est, tamen non propterea eò cognoscitur ordine, quò quid fa-  
ctum est, *Conf. B. J. Mart. discuss. Ram. l. 2. c. 3.*

*Qv. XVI. An Politica informet intellectum, an  
Voluntatem?*

Totum Politica instruit hominem tanqv. *subjectum denominationis;*  
*animam verò tanqv. subjectum inhesionis.* In anima autem hæ reperiun-  
tur facultates, quam g. istarum Politica informet, hîc disquiritur: Nos  
dicimus utramq; *primò* quidem ratione cognitionis instruit intellectum,  
ut, quid virtutes Politicæ sint, cognoscat: *ultimatò verò* & tanqvam  
subjectum proprium instruit voluntatem, ut ea bona antea cognita ap-  
petat & in actum deducat. Sola enim Politicorum præceptorum noti-  
tia absq; praxi nulla, & praxis absq; notitia eorum manca est atqve  
mutila.

*Qv. XVII. An etiam Philosophus possit esse Politicus?*

Quum ipsa Politica pars sit philosophiæ practicæ, ipse quoq; Poli-  
ticus Philosophus dicendus omninò erit. *Distingvendus tamen probè est  
Philosophus ob officio.* Philosophus, quæ Philosophus, scire quidem potest  
exactè præcepta Politica, an verò ejus officii sit, illa ad Politiam certam  
applicare, hoc est quod negamus.

*Qv. XIX. An Politica præferenda sit Jurisprudentiæ?*

De ipsa Politica in abstracto dubio procul quæstio affirmanda erit.  
*propter fundamentum,* quod Politica Jurisprudentiæ suppeditat, & *propter  
imperium,* quod exercet in totam non tantum Philosophiam, sed &  
omnes facultates superiores, atq; sic itidem in Jurisprudentiam; At in  
concreto si quærat, Ictum Philosopho præferendum esse statuimus,  
quia præsupponitur, Ictum accuratum quoq; esse Politicum, cum bonus  
Ictus nemo sit, qui accuratus antea non fuit Politicus, adeò ut sicut  
verum est: Ubi desinit Physicus, ibi incipit Medicus 1. ita: quoq; certis-  
simum: ubi desinit Politicus, ibi incipit Ictus. Quod enim  
ita sit, Politicam futuro Icto maximè necessariam  
esse concludimus.

**T A N T U M.**

DISPUTATIO POLITICA SEPTIMA

De

Legibus & Extrema Pro-

vocatione,

PRÆSIDE

M. JOH. MANITIO, Elect. Alumno

& Fac. Phil. Adjuncto,

*publicæ ventilationi exposita*

à

JOHANNE MATTHESIO, Serv. Anhaltino.

*die 23. Aprilis, horis matutinis.*

---

SECTIO I. Θεσις.

Θέσις I.

**L**Ex est jussum à Summa potestate promulgatum.

*Επιθεσις I.* Utut multum non referat, quò proponantur ordine *objecta ista*, circa quæ Majestatis jura versantur; attamen quùm æquè omnia Majestatica sint & summa, licet *objectorum* & finis ratione aliqua sit diversitas, maluimus tamen ea eòdem tractare ordine, quò præcedente disputatione fuere proposita. Primò ergò locò de Legibus.

2. Lex dicitur *vel à legendo*, quia ex multis, quæ fieri possunt, constitutione & consensione fieri solet; *vel ab eligendo*, quia eligendorum & fugiendorum naturam exhibet; *vel à prælegendo*, quia à præcone solet prælegi; *Vel deniq; à ligando seu obligando*, quia obligat subditos ad obedientiam præstandam.

3. Non verò *consideratur* hinc lex *Theologicè*, quatenus Evangelio contradistinguitur & ex immediata DEi revelatione profecta, universaliter omnes homines obligat; Neq; *Juridicè* in foro & specialiter cum applicatione ad personas, res & actiones; *neq; Physicè*, prout naturæ lex est immutabilis, vel universalis in Theoria acquiescens; *sed Politicè & civiliter*, ut hoc in loco.

▲

4. Non

4. Non ergo opus est, ut prolixè de legibus in genere, quatenus à divinis & humanis, naturalibus & civilibus præscindunt, hic agamus, quum divinarum legum nec allegatio nec explicatio hic propriam & fixam inveniatur sedem, nec legum naturalium Theoria hujus sit fori; Sed sufficit, si politicè leges tractemus, non tamen in actu exercito, prout hujus vel illius sunt Reipublicæ, verum in actu signato, universalia capita, quorum usus in omnibus Politis est conspicuus & in omnium legum promulgatione necessarius, de legibus proponendo.

5. Genus legis est jussum, quia latius patet & non tantum de legibus civilibus, sed & de divinis ac naturalibus verificatur. Differentia desumpta est à causa efficiente & formali explicitè; implicitè verò mentio quoq; fit causæ materialis & finalis, de quibus jam porro.

Θέσις II. Causa legis efficiens est summa potestas.

Ἐκθεσις I. Causa ista vel Principalis est, vel instrumentalis. Principalis est Majestas seu summa potestas, quæ in regno est penes regem, in Aristocratia penes optimates, in Democratia penes populum.

2. Ministerialis verò, quæ summa potestas in ferendis legibus adhibet, sunt consilarii, aliiq; viri prudentes & negotiorum publicorum periti, in quibus requirimus pietatem, vitæ integritatem, & prudentiam haud vulgarem, quippe quæ & legum & Reipublicæ quasi anima est.

Θέσις III. Forma Legis ipsa est Promulgatio.

Ἐκθεσις I. De forma legis non in genere, neq; legis divinae aut naturalis quæritur, sed legis politicae seu civilis in specie. Illa enim omnes homines obligant, quamvis solemniter non facta sit promulgatio, sunt etiam hominibus insitæ, ut externâ illâ promulgatione opus non sit: hæc verò sine solemniter & externa promulgatione non habent vim obligandi, quæ propterea carere haud possunt.

2. Promulgatio verò illa dicitur externa, non quod sit causa aliqua externa, nec legem intrinsicè constituat; sed quod externè debeat promulgari, ut subditi sint ἀνεπαλόγητοι.

3. Hinc & politica, publica & solemniter esse debet, quia de.



de rebus politicis, publicis & maximè arduis ferri consueverunt leges. *Politica* fit, ut ab *oconomica* Patrisfamilias legum promulgatione differat; *Publica*, quia leges, quamdiu occultæ sunt, nondum obligare solent. *Solemnis*, ut legibus Major ex solemnè promulgatione concilietur autoritas, necessitas & utilitas.

4. *Modus* promulgationis fit *vel præconis voce solâ* in curia, aut in foro, aut alio loco ad hunc promulgationis actum solemnem constituto; *vel scripto*, quando diplomata publicè nomine scripta, autoritate publicâ confirmata & sigillò Reipublicæ corroborata publicis in locis affiguntur; *vel utroq; modo, voce & scripto simul*, quando præcones statuta publica populo ex scripto prælegunt, hæcquæ cum prælectione publica ad legum observantiam adigunt.

5. *Forma legis accidentalis* continet Autoris titulum, & summam recenset capita, quæ summa Majestas à subditis vel fieri vel omitti velit, & deniq; transgressoribus addit poenam, observatoribus verò constituuntur præmia.

§. IV. *Materia legis* sunt res contingentes hominum voluntati subjectæ.

Ex §. I. *Implicitè* hæc in thesi prima insinuatur, quia lex de re nihili aut inutili seu otiosa ferri non solet.

2. *Non ergò sanciuntur leges de rebus æternis & necessariis, neq; de naturalibus, neq; de fortuitis, neq; de impossibilibus, neq; de alienis, neq; de præteritis; Sed de contingentibus, voluntariis, non nihil incertis, possibilibus, futuris & iis, quæ ad nos spectant.* Quæcunq; enim non cadunt sub consultationem, de iis non leges sanciri possunt. Et quæcunq; cadunt sub deliberationem, de iis leges possunt constitui. Jam non cadunt sub deliberationem *necessaria*, quæ enim necessaria sunt, aliter esse non possunt, ut ut enim quis longam instituat deliberationem, quid sit faciendum, ut ignis non urat, aut aqua non humectet, nil tamen istâ deliberatione efficiet; *neq; involuntaria*, quia voluntas nostra cogi non potest; *neq; fortuita*, sic nulla juvat deliberatio inventionem thesauri, quæ planè fortuita est; *neq; impossibilia*, sic mendicus non deliberat, quomodo possit creari

Imperator Romanus; *neq; aliena*; Nam quæ nihil ad nos, percunctari licitum non est, *neq; tandem futura*, serò enim sapiunt Phryges. Cadunt verò sub consultationem *contingentia*, quæ aliter atq; aliter esse possunt; *Voluntaria* quæ in nostra sunt potestate; *non-nihil incerta*, ut certa fiant; *possibilia*, quæ esse & non esse possunt; *futura* quæ evenire possunt. *Propria* deniq;, ut evitemus *πολυπραγμοσύνην*, de alienis solliciti, nostra negligamus. Accedit, quod legis origo sit ex prudentia, quæ non circa necessaria, sed contingentia versatur, Ergò nec de illis, sed his tantum leges ferendæ.

3. Hinc & ipsa prudentia atq; recta ratio jubet, ut lex sit de honestis in rectâ ratione fundamentum habentibus; Lex enim sine ratione, legis nomine haud digna.

Θέσις V. Finis legis generalis est salus totius Reipublicæ; Specialis verò internus, obligatio; externus autem obedientia.

Ἐκθεσις I. In promulgatione & hi ipsi fines implicitè continebantur. Neq; enim frustra Majestas fert leges, sed ex certâ intentione ob salutarem aliquem finem, & insignem Reipublicæ usum, cujus causa solemniter legum fit promulgatio.

2. *Generalem legis finem* Romani quondam primam rerum civilium legem fecerunt: *Salus Reipublicæ suprema lex esto*. Sanè nisi salus publica lex suprema fuerit, sed privata, Respublica facillimè, non tantùm in corruptam transumtari, sed & penitus destrui & corrumpi poterit.

3. *Specialis internus, obligatio* statuitur, quia à legislatore semper obtinetur; *Externus* verò intenditur quidem, sed non semper obtinetur. Hinc sequitur inobedientiam pœnarum, irrogatio, obedientiam verò præmiorum distributio.

Θέσις VI. Adjuncta legis sunt Bonitas, Perspicuitas & Brevitas.

Ἐκθεσις I. Ex causis hæc *adjuncta* fluunt, adeò, ut determinari ferè haud possit, ex quâ quodlibet fluat. Potissimum tamen *ex Efficiente* fluit bonitas, quia effectus testatur de causa, & causa de effectu, ita ut invicem valeat reciprocatio,

Qua-

Qualis effectus talis causa: Et qualis causa talis effectus.  
Nec potest à potestate bona, quâ tali, malus provenire effectus.

2. *Ex Objecto materiali & formali oritur non tantum bonitas, sed & perspicuitas.* Quæ enim debent promulgari, perspicua sint necessum est, ne opus denuò sit novâ explicatione.

3. *Ex fine profluit brevitatis, quæ miram præ se fert utilitatem.* Prolixitatis cives non sunt capaces, hinc salus Reipubl. eadem magis impeditur, quàm propagatur.

*Titus VII.* Dividitur Lex primò in fundamentalem & non fundamentalem.

*En Titus I.* *Essentialis hæc est divisio, non accidentalis, non quidem ratione objecti legi conveniens, sed fundamenti respectu eidem competens.*

2. *Lex fundamentalis est, quæ modum imperantibus præscribit.* Dicitur fundamentalis, quia ipsum Reipublicæ fundamentum concernit in eâ civitate, ubi legibus istis opus est.

3. Non itaq; omnibus in Rebus publicis hæc reperiuntur leges, præsertim in absoluto Monarchico regimine, ubi modus regiminis à nullo potest præscribi.

4. *Lex autem non fundamentalis subditis agenda præscribit, nec modum regiminis concernit, sed modum obediendi præscribit, nec tam difficulter, ut fundamentalis, est immutabilis.* Hinc & à fundamentali discriminatur; quod fundamentalis concernat regiminis formam, hæc non item; quod illa imperantibus, hæc parentibus præscribat; quod illa non facile, mutari possit & sine Reipublicæ labe, hæc verò facilius, quamvis & hujus legis mutatio sæpè periculosa esse soleat.

*Titus IX.* Secundò dispescitur in Vniversalem & particularem.

*En Titus I.* *Et hæc divisio Essentialis est, non quidem ut illa prior, fundamenti ratione, sed objecti respectu.*

2. *Universalis aliàs absoluta vocatur, quùm ad nullum vel locum vel tempus sit astricta, sed in universa Republica valet.*

3. *Particularis verò restricta dicitur & in certa tantum valet.*

valet Republ. nonnunquam etiam in certa Reipublicæ parte.  
Quales leges sunt Jus Saxonicum, statuta quævis provincialia  
& municipalia.

Θέσις IX. Tertiò secatur lex in rectam & corru-  
ptam.

Εξέσις I. *Accidentalis hæc est sectio & nominalis planè di-  
stinctio, cum lex corrupta non secus atq; Respublica corrupta  
propriè talis non sit.*

2. Habet inde distinctio hæc fundamentum, quia sicuti  
Respublica recta bonis legibus regitur: ita Respublica corru-  
pta corruptis quoq; legibus administratur.

3. *Est verò recta lex, quæ justè est posita & cum ratione  
recta consentit: Corrupta contra quæ injustè posita est & recta ra-  
tioni contraria.*

Θέσις X. Quartò & ultimò Lex vel scripta vel non  
scripta est.

Εξέσις I. *Hæc itidem accidentalis est divisio, cum lex  
sive scripta sive non scripta, vera non lex sit, nec à se ipsa diffe-  
rat, nisi quoad scriptionem vel non-scriptionem.*

2. *Scripta itaq; est, quæ scripto præcipit, quid sit vel agendum  
vel omittendum; Non scripta, quæ vivâ voce præscribit eadem.*

3. Huc pertinent consuetudines, quæ licet leges non sint,  
proximè tamen ad legum non scriptarum naturam accedunt.  
Et hæ variae sunt pro varietate Rerumpublicarum, sicuti nec le-  
ges omnes omnibus conveniunt Rebuspublicis.

Θέσις XI. Lex ubi nimis universalis est, æquitatem,  
quæ legis dicitur correctio, admittit facilè.

Εξέσις I. *Lex interdum corrigi tum potest, tum debet.  
Nam cum lex universaliter & generaliter tantum de rebus de-  
finiat, fieri potest, ut de certis casibus durius loqui interdum  
videatur, vel planè nihil definierit, ibi certè ex æquitate lex illa  
interpretanda, vel si quid desit, ei addendum.*

2. *Quod verò leges correctione aut supplemento sæpè  
opus habeant, id non fit vitio ipsarum aut Legislatoris culpa, sed  
hoc in rebus, de quibus feruntur, situm est. Nam cum hæ infini-  
tis modis variant, leges non usq; adeò exactè omnia definire,  
possunt, ut nihil emendandum aut suppleendum reliquū faciant.*

3. Legem

3. Legem autem authenticè interpretari, emendare ac supplere potest nemo, nisi qui potestatem ferendi leges habet, hinc & ad eum solum instituitur ultima provocatio, de qua jam acturi sumus.

*Titus XII.* Extrema provocatio est nihil aliud, quàm à Sententia inferiorum Magistratum ad eos, penes quos summa est potestas, appellationis receptio.

*Ex Titus I.* Passivè hinc describitur extrema provocatio & à parte Majestatis, cujus est appellationem illam recipere, aliàs activè appellatio litigantis foret, atq; sic respectus haberetur non tam ad Majestatem, quàm subditos provocantes. Verùm quùm hoc ipsum Jus non subditorum sit, sed Majestatis, idem, non appellationem simpliciter, sed appellationis receptionem vocare liceat.

2. Dicitur *Extrema seu ultima*, eò quod non detur in eà progressus ulterior. Sic *extremos Indos* vocat *Horatius* & *Procopius de bello Gottorum lib. 2.*, & *Virgil. lib. 1. Georg. ultimam Thulen*, eò quod hos ultra terminos non detur aut cognitus sit ulterior.

3. *Genus est ipsa receptio.* Differentia reliquis exprimitur verbis, ubi fit mentio primò subjecti, quod Majestas est, quæ appellationem recipit, in Monarchia Rex, in Aristocratia Optimates, in Democratia populus universus.

4. *Deinde connotatur forma*, quæ ipsa est appellatio & fit semper gradualiter, ab inferiori ad superiorem, à superiori ad supremum usq;e. Quibus autem circumstantiis appellatio hæc fieri debeat, illud in quavis Republ. notorium est Legisperitis, nec nostrum est hoc in loco determinare.

5. *Materia tertio est sententia inferioris Judicis*, circa quam extrema versatur provocatio. Potest namq; Judex inferior nonnunquam errare in legis interpretatione, vel fraudibus Causidicorum circumventus, vel pecunia corruptus, vel legis perplexitate abalienatus, ut invenire verum in eadem non possit.

6. *Finis ultimo innuitur*, quod scilicet eò instituatür  
fine

sine provocatio extrema, ut lata ab inferiore Judice sententia vel mutetur, vel ad minimum suspendatur ab executione. Hinc & à Bodino lib. 1. de Republ. & Cl. Arnis. in Pol. c. 11. extrema hæc provocatio describitur, quod sit Jurisdictionis inferioris Judicis per legitimam invocationem suspensio, quæ semper cum ordine Magistratum ascendit, donec ad supremam terminetur potestatem, in qua & ipsam fini & desinere necesse est.

## SECTIO II. ΖΗΤΗΤΙΚΗ.

### Qu. I. An Legibus In Republica opus sit?

Leges in Republica dari actu, in concessio ac professo est, quaritur autem de necessitate hinc loci, an adeò necessariæ sint? Nos eas necessarias esse dicimus, si non necessitate absoluta, conditionatâ tamen tales erunt. Nam ubicunq; Majestas est, ibi quoq; ne Majestas otiosa sit, requiritur objectum, circa quod illa versari possit, Atq; in omni Republica, sive simplici, sive mixta Majestas est, Ergò. Hinc & nulla Respublica unquam sine legibus fuit. Metuendum enim est, ne securitas peccandi, confusio, aliaq; mala Reipubl. damnnum inferentia in eandem introducantur, & mala impunita, bona verò sine præmiorum distributione maneant. Legibus itaq; opus est, sive scriptæ sive non scriptæ illæ fuerint. Mirum quidem est, Homerum, aliosq; Veteres vocem *νόμος* expressè non posuisse, habuerunt tamen loco istius alias æquipollentes, adeò ut ab istius vocis negatione ad rem ipsam negandam nulla sit consequentia. Et quamvis natura nobis dictiter generaliter, quæ agenda aut omittenda, specialiter tamen omnes omninò casus cum suis circumstantiis determinare non potest, quod præstant aut suppleant leges civiles.

### Qu. II. An inter se invicem differant Leges civiles ac Forenses?

Hic gradualem saltem admittere cogimur distinctionem. Quoad causas enim convenientia est, & in eò tantum distinguuntur, quod leges Politicæ sint generales, forenses verò speciales. Quæ enim Practicus Philosophus in genere explicat, ea specialiter

liter per personarum, rerum, locorum & temporum circumstantias, perq; partes & processus actionum judiciorumq; deducit Jctus. Essentialiter ergo leges istae sunt eadem, quoad majus autem & minus differunt, seu ut latius & angustius. Hinc est, quod dicitur: *Philosophos tradere Theses, Jctos verò hypotheses.*

*Qu. III. An omnes Leges omnibus Rebuspublicis convenient?*

*Negativa ex precedentibus constat. Nam si omnes leges Rebuspubl. omnibus essent eadem, non nisi unica Reumpubl. forma foret, adeò ut omnes vel statu uterentur Monarchico, vel Aristocratico, vel Democratico, nec foret Respublica aliqua mixta. Objici hic solet veritatis unitas & unica virtutis via, quae in omnibus Rebuspublicis observari debeat. Sed Respondemus I. concedendo veritatis unitatem, ratione unius Objecti; ratione verò diversorum objectorum eadem non unica sed multiplex est, adeò ut alia Veritas sit Metaphysica, alia Ethica, alia Logica, alia Theologica, Juridica, Medica &c. 2. distingvimus inter veritatem ipsam, & veritatis applicationem. Unica quidem est veritas, quia verò diversi sunt populi, diversae Respublicae, ideò aliter atq; aliter veritatem illam applicant, adeò, ut modò sub hâc, modo sub aliâ forma eadem in Theatrum prodeat. Hinc negamus jam 3. Unicam virtutis viam esse ratione subjectorum, aut etiam modorum, quamvis una illa sit respectu objecti. Iter facientes Romam, non omnes unâ proficiscuntur viâ, sed jam ab hac, jam ab alia illam ingrediuntur viâ, & tamen una eademq; Roma est. Sic virtutis sectatores modò longiùs, modò brevius virtutis emetiuntur iter, modò per vias planas, modò per spinosas & lubricas. De hinc 4. distingvendum inter virtutem in genere, & in specie talem vel talem. Utur in omni Republica homines virtutem atq; honestatem sectari debeant, alii tamen hâc, alii aliâ delectantur. Hinc sicuti non omnes consentiunt in formam Reipublicae Monarchicam; ita quoq; nec omnes leges, aliis formis haud malè convenientes, illi competere possunt. Quia verò aliàs in Virtute gradus esse possunt subjectorum respectu, ita quoq; concedi posse existimamus,*

B

majo.

majoꝛem' virtutem' legibus, statui Monarchico. competenti-  
bus inesse, quàm Aristocratico, & majorem iterum huic, quàm  
Democratico. Interim tamen hæ leges simpliciter non sunt eæ-  
dem, nec omnibus formis applicabiles.

*Qu. IV. An Legibus Mosaicis forensibus abrogatis rectè  
Juri Romano in nostra Republica obedientiam  
præstemus?*

*Supponendum 1. nos non loqui de legibus moralibus, quæ eter-  
nae sunt & immutabiles; neq; 2. de legibus Atheniensium, Roma-  
norum Vett. & aliarum Politiarum, sed 3. de legibus Mosaicis  
forensibus, & Romanis hodiernis, Atq; illas jure abrogatas, meri-  
tò verò has receptas, servandas & retinendas esse, dicimus. Pri-  
us probatur ex Canone Politicorum: Sublatâ politia, tolluntur  
leges illius politie. Jam sublata est Politia Judæorum, E. & ipsæ  
leges. Adde quod illis legibus certus fuerit præfixus terminus,  
nec ipsos quoq; Ethnicos tempore Vet. Test. existentes obligâ-  
rint. Hinc Josephus Ægyptiacum, Daniel Perficum, non intro-  
ductis legibus forensibus Judæorum, secundum leges in iisdem  
Rebus publ. usitatas laudabiliter administrârunt Imperium. Po-  
steriq; stabilitur hoc modo. 1. Cui Magistratui obediendū, illiq; quoq;  
legibus tenemur, Atq; Ethnico quoq; Magistratui obediendum E.  
Major clara est, Minor ex Rom. 13. 1. & 1. Pet. 2. 13. constat. Ar-  
gumentamur. 2. Quicquid Gentib; Apostolorum tempore ad Chri-  
stum conversis impositum non est, illud multò minus nobis imponen-  
dum est hodiè; Nam cum honore sepelienda erat Politia Ju-  
dæorum. Si ergò Apollolis expediens visum fuisset leges fo-  
renses observare, utiq; gentibus conversis id imposuissent.  
Atq; lex forensis Judæorum, gentibus Apostolorum tempore ad  
Christum conversis imposita non est. Ergò. Minor patet ex Matth. 8.  
13. Luc. 3. 14. Act. 10. 1. c. 13. 12. c. 15. 12. Colligimus 3. ita: Qui-  
cunq; privilegiis ejusdem Politie gaudere vult, ejusdem leges etiam  
ut approbet, necessum est. Atq; Paulus privilegiis Romanæ Po-  
litie gaudere cupiebat Act. 25. 10. & 25. Ergò. Verùm opponunt non-  
nulli D. Paulum sibi ipsi, quod 1. ad Cor. 6. 1. prohibeat judicium  
exerceri sub injustis, per quos dubio procul intelligebat gen-  
tiles.*



tiles. Respondemus distinguendo inter rem & rei modum. Apostolus non simpliciter improbat iudicium controversiarum deferri ad Magistratum tunc temporis Ethnicum; Sed perversum illum modum taxat, quod quâcunq; de causa coram Magistratu, magno cum offendiculo litigare non erubescerent, cum potius scandali avertendi & publicæ tranquillitatis causa injuriæ condonari vel per arbitros Christianos componi possent ac deberent. Quoad leges verò forenses distinguimus objecta, quorum quædam sunt communia, quædam singularia. Quicquid juris communis est apud Mosen forensibus in legibus, id certissimi & constantissimi juris sit apud omnes, quia ratio communis semper justa & recta est; ita se habent delicta mortalia contra Decalogum commissa; Quicquid verò juris singularis est apud Mosen, id non magis, quàm priscorum Assyriorum, Grecorum, Persarum &c. leges, aut aliarum civitatum jura municipalia nos in N.T. obligare potest, qualia sunt emancipatio servorum, conjugium cum Vidua fratris cognatiq; defuncti absq; prole masculâ, & quæ fuerunt alia, hæc omnia cum honore jam sepulta sint & maneant.

#### Qu. V. Quenam Legum sit Origo?

Variæ ac diversæ cum sint leges, variam atq; non unam eas habere originem oportet. Legum divinarum causa & origo Deus solus est, Naturalium verò causa est natura & Deus; Civilium verò potestas in civitate summa, natura item, atq; Deus, quamvis diversimodè origo istarum inde profluat, quod ex præced. patet. Nec tantùm leges Christianorum Politicæ, sed & Vett. gentilium ad Deum tanquam causam omnium supremam ac independentem sunt relatæ, ut Autoritatem ac splendorem illis majorem conciliarent, quamvis hi posteriores fictos sibi Deos imaginati sint. Sic Draco & Solon Atheniensium Legislatores originem suarum legum attribuerunt Minervæ; Lycurgus Spartanorum Nomotheta, Apollini; Charundas Carthaginensium, Saturno; Minos Cretensium, Jovi; Plato Magnesium item Apollini; Mercurius Trismegistus Ægyptiorum, Mercurio Deo sibi cognomini; Zamolxis Scytarum, Vestæ; Numa Pompilius Romanorum, Nymphæ Ægeriæ. Ac proinde jure omni & cunctorum consensu legum inventio vel proximè vel per media ad Deum referenda est.

*Qv. VI. An publica legis promulgatio sit  
necessaria?*

*Asseruimus hoc prius, asferit hoc idem Thomas de Aquino  
i. 2. qv. 9. art. 4. Promulgatio ipsa, inquit, necessaria est ad hoc, ut  
lex habeat suam virtutem. Consentit Dominicus Soto l. 1. de inst.  
qvast. 1. art. 4. ubi hanc conclusionem necit: nulla Lex ullum  
habet vigorem legis ante promulgationem, sed tunc instituitur, dum  
promulgatur, quæ posteriora verba desumpta sunt ex Jure Cano-  
nico dist. 4. c. in istis. Verùm generalem nimis & universalem  
hanc legis faciunt affectionem, extendendo eandem ad ipsum,  
quoq; jus divinum seu leges divinas. Particularis illa saltem  
est proprietas competens legi tantum humanæ, non autem uni-  
versalis, cum lex æterna & innata promulgatione isthac externâ  
opus non habeat.*

*Qv. VII. An Lex Majestati, an verò Majestas  
legi præesse debeat?*

*Sermo hîc est non de lege divina, sed humana; non de natu-  
rali sed civili. Lex namq; divina & naturalis præest quoq;ve  
Majestati, aliter tamen de civilibus seu humanis judicandum.  
Lex enim civilis, cum Majestatis sit Effectus, sua causa nobilior  
atq;ve dignior esse non potest. Hinc in Majestatis arbitrio  
situm est, leges emendare, corrigere & pro Reipubl. commodo  
immutare, adeoq; nec hâc in parte Majestas superiorem habet.  
Nihilominus tamen cum supponatur, legem quoq; civilem in  
natura & Scriptura fundari, ideò, si non directè, tamen indi-  
rectè Majestatem stringit & ob tranquillitatem conscientie ob-  
ligat, atq; propter exemplum bonum, quo subditi maximè ad  
legis observantiam astringuntur, eò movet, ut ipsa legem  
non transgrediatur. Hinc ergò concludimus, Majestatem ut maxi-  
mè soluta sit legibus directè, indirectè tamen obligari, non quoad vim  
cogentem, sed dirigentè, quatenus Lex est justa actionum regula; non  
ob legis observationem servilem, sed civilem; non ob necessitatem, sed  
honestatem; non absolutè sed ex hypothesi, si nempe Princeps vir  
bonus esse, si conscientiam non lædere, si subditis præire & igno-  
miniam nominis evitare velit.*

*Qv. VIII.*

*Qu. VIII. An Leges omnes debeant esse honestæ,  
justæ, utiles & necessariae?*

Explicuimus in thesibus legum Qualitatem, qualiter scilicet affectæ esse debeant, quod non debeant sanciri de rebus turpibus, injustis, inutilibus aut simpliciter necessariis, & quæ alia ibidem addidimus; sed de honestis, justis, utilibus & necessariis secundum quid, sive etiam contingentibus. Honestas in legibus ante omnia requiritur, quum esse debeant normæ directrices vitæ humanæ benè & laudabiliter instituendæ. Hinc ferenda non est *Lex Lacedæmoniorum* de furto pueris concessio, dummodo cautè hoc facerent, & ita furtum committerent, ne deprehenderentur. Nec minus postulatur in lege justitia. Standum quidem Autoritati Legis etiam injustæ, nec errat ille, qui cum lege erat, nec pœnam meretur; Num verò conscientia ejus possit esse tranquilla, valdè dubito. Et patet hoc ipsum ex facto *Helpidii*, qui maluit carere præfecturâ urbis, quàm injustam *Constantii* legem exequi. Utilitatem requirimus ita, ut sine honestate & justitia non sit. *Necessitas* verò intelligitur non simpliciter talis, quam removimus supra, sed *in* & certo respectu talis; non ratione *Essentiæ*, sed *Existentiæ*; non ratione rei ipsius, sed ratione usus & obligationis.

*Qu. IX. Quibus leges sint ferendæ?*

*Non sanè brutis animantibus.* Ea enim ratione destituta servare legem haud possunt. De brutis quidem leges à Magistratu sanciri possunt, sed non ipsis brutis. Deinde nec leges præscribi possunt infantibus, aut etiam morionibus, qui leges nec intelligere nec præstare possunt. Neq; tertio illis, qui ad *Rempublicam*, in qua leges feruntur, omninò non pertinent; sed prorsus sunt extranei & peregrini. Hinc quarto tandem illis leges sunt proponendæ, qui ad illas servandas apti sunt, qui easdem & intelligere & præstare possunt & membra civitatis sunt. Hi enim pœnarum irrogatione jure cogi possunt, non item illi, quos penes nulla est legis obligatio, nec violatio, nec inde sequens pœnarum irrogatio.

*Qu. X. An præstat paucas, quàm multas  
ferre leges?*

*Affirmativa* quoad prius asserenda videtur, eò quod plures leges majorem dent occasionem processibus longioribus, variis depravationibus & vitiosis interpretationibus. Cives perturbat legum multitudo & minus obsequentes efficit, nec violatores legum debitâ afficiuntur poenâ: *Sicuti enim copia Medicorum plerumq; indicium esse solet multorum morborum: ita & multitudo legum, indicium civitatis male habentis.* Hinc *Arcefilaus* dicere solitus est: *Quemadmodum, inquit, ubi sunt multi Medici, ibi multi sunt morbi: ita ubi per multæ leges ponuntur, ibi plurimum est vitiorum,* referente *Laërtio* lib. 4. *Tutissimum ergò est, si leges fuerint paucæ & breves, ita tamen ne obscuræ fiant, executio verò certa & frequens.*

*Qu. XI. An aliquis possit eximi ab legum obligatione?*

Posse hoc fieri, recta svadet ratio, actu quoq; hoc factum & adhuc fieri testatur *Experientia.* Ubi enim *lex 1. fuerit iniqua* præcipiens aliquid vel contra Deum, vel contra proximum, vel contra conscientiam, ibi oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Interim tamen non statim lex iniqua censenda, quæ huic vel illi ita videtur, sed quæ revera talis est. *Distingvendum præterea probè inter id, quod est iniquum & quod est injustum,* quæ duo differunt ab invicem quàm maximè. Sicuti enim aliud justitia seu jus est, & aliud æquitas: ita ex opposito aliud quoq; est injustum, & aliud iniquum. Iniquum dicit id, quod contra omnem prorsus est æquitatem; at injustum infert hoc, quod quidem justum non est, non tamen contra omnem planè æquitatem. Sic v.g. injustum est exigere à subditis tributum nimium, at non simpliciter iniquum tempore præsertim belli. Hinc est, quod nos paulò ante cum *Philosopho* l. 4. Pol. c. 8. dicebamus: *Standum esse legibus quoq; injustis, κακῶς κειμῆνοισι,* non autem iniquis planè; Si itaq; Lex planè fuerit, non injusta saltem, sed & iniqua, obligatio locum nullum habet. 2. *obligatio cesfat post abrogatam legem,*  
ad eò

adeò ut si quis eam ulterius strictissimè observare velit, eo ipso peccaret, quia faceret contra Legislatores voluntatem, quæ eandem amplius servandam esse nolit. 3. *Exemptio fit per dispensationem graves ob causas, non quidem in quòvis, nec per quemvis, sed Legislatorem, in legibus non adeò utilibus, in persona circa Rempubl. præclarè merita.* Deniq; 4. *obligationem tollunt privilegia, quæ vel certis quibusdam ordinibus conceduntur ab initio statim promulgationis, vel certis tantum personis sive ad tempus, sive ad finem vitæ, sive etiam hereditario modo, qualia privilegia habent Profesores, Doctores, Studiosi, milites &c.*

*Qu. XII. An judici liceat præter Legis verba agere?*

Quomodo Exemptio ab obligatione legum fiat, dictum modò est. Jam quæritur de earundem interpretatione. Posse verò Judicem nonnunquam adhibere *ἐπιεικείαν*, concedimus facile, cum *summum jus, summa sæpè injuria sit*; Caveat & Judex sibi probè, ne ex *ἐπιεικεία* fiat *πρὸς ἀποληψία*. Etsi *ἐπιεικείαν* svadeat res ipsa, non tamen temerè legis suscipiat interpretationem propriam, sed si tempus deliberandi concedatur, à Principe petenda erit explicatio, ne in fraudem legis aliquid fecisse videatur.

*Qu. XIII. An Provocatio rectè dicatur extrema?*

*Controversia hïc non est de vocabulo, sed de re ipsa.* Nihil enim interest, an provocatio hæc vocetur extrema, an ultima, an summa aut suprema. Sed annon ulterior adhuc detur provocatio, quod asseri posse videtur *hæc potissimum ratione*: quod à Majestate Politica ad divinam ulterior adhuc detur Provocatio. Argumentum est tale: *Quæcumq; Provocatio ulteriorem adhuc admittit, ea non est summa seu extrema, Atqvi Provocatio, quam hïc vocamq; extremam ulteriorem adhuc admittit, Ergò. Majorem ex terminis terminantibus constare asserunt; Minorem verò probant inde, quod omnibus piis ad Deum adhuc, denegatâ apud homines justitiâ, libera sit Provocatio.* Sed hoc argumentum totum nos possumus admittere, salvâ nostrâ sententiâ, quùm *ἄδὲν πρὸς τὸν δῖονυσον* faciat. Concedimus enim ad  
Deum

Deum posse fieri appellationem ob denegatam apud homines  
justitiam: Verum an in civilibus à summa potestate rectè insti-  
tui possit, provocatio ulterior, h. e. quod negamus. Si enim sum-  
ma potestas, quæ poterit admittere superiorem? *Sed exipiat quis,*  
& fallum id esse asserat, ad superiorem semper fieri provoca-  
tionem, cum Exempla reperiantur contraria, ubi etiam ad in-  
feriorem vel æqualem à superiori facta est provocatio. *Respon-*  
*demus statim per distinctionem inter potestatem ordinariam &*  
*extra-ordinariam.* Quando enim superior vel æqualis alterius  
potestati sese subjicit, tum hæc potestas nõ est ordinaria, de quâ  
nos loquimur, sed extra-ordinaria, & valet tantum in casu præ-  
senti, non verò in aliis. Manet ergò adhuc asseritum nostrum  
validum.

*Qu. XIV. An in rebus quibusvis concessa sit Provocatio?*

*Respondemus quod non.* Probamus hoc 1. à *Majestatis statu,*  
qui summus est non nisi summa admittens 2. à *Magistratum in-*  
*feriorum conditione.* Quâ fini enim constituerentur Magi-  
stratus inferiores & Judices in quâlibet civitate & pago, si mi-  
nutissima semper ad Principem summum referenda 3. *ab im-*  
*possibilitatis natura.* Impossibili namq; est, unum hominem rerum  
& litium omnium, quæ infinitæ ferme sunt, decisiones in tota &  
ampla sæpe Republ. ferri posse. *Accedit & hoc; quod non-*  
nisi mediata debeat esse provocatio ab inferiori, per gradus  
semper ad superiorem, usq; tandem in summa terminetur.

*Qu. XV. An Provocatio extrema Reipublicæ  
sit salutaris?*

*Est maximè.* Ita enim sine furo & largitionibus judicium  
exercetur & justitia administratur sine *πρωτολυψία,* cum tale  
quid summum in Principem non cadere præsumatur. *Sed ob-*  
*stare videtur iniquitas, injustitia & avaritia Ministrorum, quæ Rei-*  
*publ. omninò damnosa & subditis perniosa esse solet.* Verum  
*responsio facilis est per distinctionem inter id, quod Reipubl. est sa-*  
*lutare per se, & quod ex accidente fit exitiosum.* In se & per se  
provocatio ista semper proficua & salutaris judicata est Rei-  
publicæ & subditis, quamvis nonnunquam per accidens damnû  
inferre & subditis & Reipublicæ solet. Tollendus est abusus,  
maneat usus. *Uusus habet laudem, crimen abusus habet.*

T A N T U M.

DISPUTATIO POLITICA OCTAVA

De

Officialibus

in genere, Et in specie

De

Consiliariis & Magistratu,

PRÆSIDE

M. JOH. MANFIO, Elect. Alumno

& Fac. Phil. Adjuncto,

publicæ ventilationi exposita

SIMONE ANDREA JORDAN, Burgens. Sax.

die 4. Maj, horis matutinis.

SECTIO I. Θεωρητική.

Θεωρητική I.

**O**fficiales sunt personæ, quas summa potestas ad res vel publicè vel privatim ad salutem Reipubl. gerendas adhibet.

Ex Θεωρητική I. Agimus hinc de Officialibus, tanquam de Effectu Summæ Majestatis, quia omnes isti, sive Consiliariorum, sive Magistratum nomine veniant, à Summa Potestate constituuntur & ordinantur, illi quidem, ut juvent eandem Consilio; hi verò ut opem ferant auxilio, de illis loco priori.

2. *Officiales* dicuntur ab *Officio*, quod gerunt, quia Consiliis prodesse debent Reipublicæ & summæ in eadem potestati, non verò eidem obesse aut officere, quia is, qui officit, *Officiosus* est minimè. Hinc licet Grammatica derivatio sit inter ista vocabula, officere, officium, officiosus & officialis, Logica tamen eadem non est, propter significationis immutationem.

3. Sumitur

3. Sumitur vox Officialis *vel generalissimè*, pro persona quacunq; ad certum quoddam officium ordinata, sive officium illud publicum sit, sive privatum; *vel specialissimè*, pro tali persona, quæ in certo vivit officio, & ab eo quoq; officio denominationem habet, quomodo in Inferiori Lusatia Inspector rerum Ecclesiasticarum Officialis nuncupatur; *vel specialiter*, pro persona publica in officio publico à Majestate constituta, ut hoc in loco.

4. Dicuntur *Officiales aliàs Magistratus, Consilarii, Vicarii, Instrumenta, Media, Ministri* & quæ aliæ sunt denominationes Synonymicæ, quæ tamen suo adhuc modo ab invicem differunt.

5. *Generis loco ponitur persona*, quod vocabulum non sumitur sensu physico & absoluto, quatenus homo est, sed sensu politico & respectivo, quatenus quidem homo est, sed ulterius ut Instrumentum Summæ potestatis, vel medium etiam Reipublicæ feliciter administrandæ consideratur. Latius autem patet persona, quam Officialis, quum & ipsa potestas Summa & subditi specialiter sic dicti personæ sint, qui tamen Officiales propriè non sunt, sed Officiales mediant, quasi inter summam potestatem atq; subditos, atq; hinc persona veri generis locum occupare poterit.

6. *Differentia* reliquis verbis comprehensa à causis desumpta est I. ab *Efficiente*, quæ Summa Potestas est, cuius Magistratus instrumentum & rerum gerendarum subsidium, nec exiguum salutis publicæ adjumentum est.

7. II. à *Causa materiali*, quæ nomine rei insinuatur, quæ vox non sumitur specialiter, quatenus personis & actionibus contradistinguitur, sed generaliter, prout hæc omnia includit, Personas, res & actiones, quæ tria aliàs juris sunt objecta.

8. III. à *formali causa*, quæ in Officialis à Summæ Potestate constitutione consistit, sive constitutio illa fiat immediatè ab ipsa Majestate, sive mediatè, mediantibus certis instrumentis aut vicariis.

9. IV. à *sine*, qui allegatur duplex, internus & externus. Internus exprimitur verbis ad res vel publicè vel privatim gerendas.



*das. Externus reliquis notatur verbis: ad salutem Reipublicæ.  
Salus enim Reipublicæ suprema lex est, & supremus Politicæ finis.*

*§. II. Requisita Officialis spectant partim munus, partim personam.*

*Ex §. I. Antequam munus suscipiat Officialis, expectet Vocationem. Eam verò largitionibus aut dolo malo non extorqueat, sed vel ante petitam, vel spontè oblatam recipiat, nullatenus verò declinet sive ob officii gravitatem, sive morum Civium perversitatem, præsertim si dignus & aptus oblato fuerit muneri. Quod si verò indignum quis se sciat, nec ineptitudinem saltim simulet, tunc, quò minus tale declinare possit officium, nil obstat.*

*2. Post munus susceptum opus quoq; est Salarium. Nam tenetur rebus privatis omnibus posthabitis Officialis unicè curam habere rerum publicarum, de his ergò & illi vivendum erit, ut rerum privatarum neglectus aliqua sit compensatio, & ipse quoq; pro officii dignitate honestam possit producere vitam.*

*3. Circa Personam quinque sunt observanda, ut nempe eligatur 1. Inquilinus, quippè qui facilius tum publici status notitiam, tum in his, quæ publicum concernunt statum, prudentiam sibi comparare possit, majoriq; amore & constanti magis affectu amplectitur Cives, quàm peregrinus. 2. ad gubernandum aptus, sive natus sit ex celebri familia, nec ne, dummodo virtute præstans sit. 3. ex una familia tantum unus, ne pluralitas consanguineorum vota cæterorum superet. 4. opibus instructus, quia talis solet esse Patriæ amantior, cum ex ejusdem interitu plus perdat, quàm pauper. Cujus enim magis interest, Civitatem manere salvam, illius quoq; rationem habendam esse, præcipit Philosophus l. 4. Polit. c. 14. & 5. Polit. c. 9. Et denique 5. unus uni tantum officio præficiatur, tum ne omnia conferantur in unum, sed & aliis promerita dispensentur munera; tum ut quilibet suo possit satisfacere officio, ne forsitan multitudine negotiorum detentus quis munera negligat, & Respublica inde damnum capiat.*

*4. Nec parum conducunt privilegia, quæ si concedantur*

cur Officialibus, Autoritas eorum non tantum augetur, sed & in officio facilius detinentur, cum ea soleant esse diuturnitatis quasi vincula.

5. Si ergo 1. honor illis debitus à Principe habeatur, subditi majori eosdem veneratione prosequuntur. Sin verò contemptui exponantur, nec officio suo bene præesse, nec subditos in fide conservare poterunt.

6. Si 2. ab oneribus ferendis fuerint immunes v. g. à contributionibus, & id genus aliis oneribus & exactationibus, liberius re privatâ desuper habitâ publicis invigilare possunt curis.

7. Si 3. Deniq; liberaliter illis stipendia erogentur, ita quidem, ut inter laborem & compensationem æqualis serveatur proportio. Hæc & similia privilegia Officiales in officio continent, & ad promovendum Reipublicæ commodum magis magisq; excitant.

**§. III. Dividuntur Officiales in ordinarios & Extraordinarios.**

**Ex §. I.** Officiorum differentia ab objectorum varietate, & ab officiorum diversitate Officialium desumpta est divisio. Quia enim illa vel sunt perpetua, vel quotidiana, vel rara & extraordinaria; ideò tales quoq; Officiales sine necessum est.

2. Sicuti autem Ordinariis non denegari potest nec res, nec titulus veri Officialis; ita nec extraordinariis, quippe qui non secus atq; illi à Summa Potestate ad res gerendas adhibentur.

**§. IV. Officiales ordinarii sunt, quorum Officia legibus sunt definita.**

**Ex §. I.** Vocantur Ordinarii, quia certum in Republica sortiuntur ordinem, eundemq; perpetuò servant ac retinent.

Vox Ordinarii non sumitur in sensu strictiori, prout κατ' ἐξαιρέτην τῆς πόλεως ille Ordinarius vocatur, qui est ordinarius Collegiorum omnium assessor, sed in sensu adequato, quorum officia cum Objecto sunt Ordinaria.

3. Dicuntur autem ipsorum Officia legibus definita.

*partim*

*partim ob necessitatem, quia talia Officia in Republica sunt necessaria; partim ob perpetuitatem, quia sunt perpetua, adeo ut cessare nequeant; partim ob quotidianam utilitatem, quæ singulis conspicitur diebus, hinc ne gravius quoddam committatur delictum legibus definita officia sunt.*

**§. V.** *Officiales Ordinarii Reipublicæ profunt consilio partim partim auxilio.*

*Ex Jeros. I. Illi dicuntur consiliarii seu Senatores; hi vero Magistratus appellantur.*

2. *Divisionem hanc habet Lipsius lib. 3. Pol. c. 2. & 3. nec fundamento destituitur suo. Deliberatione enim in Republica opus esse, dubitat nemo. Quum autem deliberatio, quæ in actum deducitur nunquam, sit frustranea, ideo alii insuper requiruntur ministri, quibus executio Consiliorum demandanda.*

**§. VI.** *Consiliarii sunt Officiales ordinarii, qui habent consentiendi decernendiq; facultatem.*

*Ex Jeros. I. Consiliarii dicuntur quoq; Senatores, non quidem Civitatis, sed Principis. In Civitate quidem habemus Senatores, qui ex civibus senioribus, tam ætate, quam moribus talibus eliguntur; at Principis Senatores seu Consiliarii ab ipso Principe constituuntur immediatè.*

2. *Est verò magna bonorum Consiliariorum & necessitas & utilitas, ut iis Respublica integra carere nequeat, sive Democratica, sive Aristocratica, sive Monarchica eadem sit. Plato lib. 6. de legibus, in Democratia Senatum propterea constitui voluit, ut præcipitantiam & furorem vulgi sua contemperaret tarditate. Aristocratia verò ipsa ex Senatu constat. Monarchia deniq; Consiliarios requirit, cum nemo tanta prudentia sit præditus, ut tanto Regiminis oneri par esse possit.*

3. *Dicuntur autem Consiliarii Officiales, eò quod in omni sua deliberatione à Majestate dependeant, non quidem quoad deliberandi modum, sed quoad deliberandi potestatem.*

4. *Additur porro, quod habeant consentiendi decernendiq; facultatem. Quæ facultas non privata est, sed publica*

A 3

à Maje-

3. Majestate commissa; non principalis, qualis ipsius summæ potestatis est, sed instrumentalis, quia Consiliiarii sunt Instrumenta & Effecta Majestatis.

5. Spectanda autem probè est in Consiliario, ut ejus natura constet melius, & persona & Officium. Respectu persone considerari potest substantia, Quantitas & Qualitas ejusdem.

6. Ratione Substantie quæritur: Quisnam sit eligendus? Non sanè fæmina, sed vir, non rusticus, aut communis è plebe civis, sed Senatus ex Magistratu. Debent enim Consiliiarii de rebus ad Rempublicam spectantibus consultare, quod nemo felicias poterit præstare, quàm qui eas administravit.

7. Ratione Quantitatis attendendus I. est numerus, qui incertus est, propter objectorum sub deliberationem venientium vel paucitatis vel pluralitatis incertitudinem. Videndum tamen probè, ne nimius ille sit, ne forsitan disensus inter eos oriatur, aut plurimi eorum minus digni reperiantur.

8. Observanda II. est ætas, quæ debet esse media, non juvenilis, neq; nimis langvida. Dicuntur quidem Senatores quasi Seniores, non ratione Senectutis decrepitæ, sed ratione virtutis exactæ; non ratione menti, sed respectu mentis.

9. Ratione Qualitatis spectanda cum primis virtus est partim Theologica nempe Pietas, quæ primum in Consiliario requisitum est, & adeò necessaria, ut plus Deum, quàm Principem timere debeat ex mente Friderici III. Imperatoris, qui teste Ænea Sylvio in paral. Alphonsi, eos tantum Consiliiarios amavit, qui plus Deum, quàm Principem timerent; partim Politica nempe Prudentia, quæ complexum omnium virtutum moralium requirit, & oculus Consiliiarii unicus est.

10. Quod jam attinet Consiliiarii Officium, versatur ille circa Consultationem, ubi quædam ante Consultationem, quædam in Consultatione, quædam post Consultationem illi sunt observanda.

11. Ante Consultationem privatos affectus deponere debet Consiliarius, ut ea possit agere quæ sui sunt officii: Nam qui de rebus dubiis consultant, eos ab odio, amicitia, ira & misericordia vacuos esse oportet, moritum est egregium C. Julii Cesaris apud Salustium.

12. In

12. *In Consultatione* videat, ut rectè & benè consulat, quod fit respiciendo 1. *objectum*, seu rem quæ sub Consultationem venit, ut ea sit bona & honesta. 2. *finem*, ut omnia sua Consilia post Deum ad Reipublicæ salutem dirigat & 3. *media*, quæ itidem honesta & legitima esse debent. In primis verò adfit *spadendi libertas*, ut sine metu ac simulatione veritatem intrepidè dicat, *ne lepores concionentur Leonibus*, juxta illud commune proverbium.

13. *Post Consultationem* in Consiliario requiritur *taciturnitas*. Ut enim maxima in Consiliario virtus est loquendi libertas intra Senatum, ita extra Senatum minor non est virtus taciturnitas seu silentium, quippe quod est optimum tutissimumque rerum administrandarum vinculum teste *Valer. Max. lib. 2. c. 2.*

**Θέσις VII.** Consilarii dividuntur in Ecclesiasticos & Politicos.

**Ἐκθεσις I.** Variè à quibusdam Consilarii dispescuntur pro varietate objectorum circa quæ versantur. Objecta illa recenset *Philosophus lib. 1. Rhet. cap. 4.* & dicit, quod Consultatio fiat 1. *περὶ τῶν πόνων* de pecuniis comparandis. 2. *περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης* de bello & pace 3. *περὶ Φυλακῆς τῆς χώρας* de Custodia regionis. 4. *περὶ τῶν εἰσαγομένων καὶ ἐξαγομένων* de rebus importandis & exportandis, & denique 5. *περὶ τῆς νομοθεσίας* de ferendis legibus.

2. Nos in Ecclesiasticos & Politicos eosdem dividimus, & per eos intelligimus personas, quæ circa sacra versantur, & speciatim dicuntur Consistoriales; per hos verò intelligimus eos omnes, qui circa Politiam occupati sunt sive circa intimiora, sive circa Cameralia, sive circa Aulica, sive circa Appellationes, sive circa res metallicas &c.

**Θέσις IIX.** Magistratus sunt Officiales ordinarii ex lege ad gerendas res Reipublicæ à Majestate constituti.

**Ἐκθεσις I.** Magistratus vocabulum vel ratione originis dicitur à Magistris, hoc est, Præfectis populi, qui olim conjunctim sumti Magistratus dicebantur; vel ratione officii à Magi-

*Magistro*, quod significat moderor, gubernor, quia Magistratus subditos suos regit, moderatur & gubernat.

2. Sumitur autem *vel abstractè vel concretè*. *Abstractè* pro ipso Magistratus officio, hinc dicitur quis Magistratum, id est, potestatem illam accipere, gerere, deponere &c: *Concretè* pro persona Magistratum gerente, ut hoc in loco.

3. *Generis loco* ponitur, quod sint officiales ordinarii, & dicuntur quoq; tales Consilarii, hinc tanquam latius veri generis vices subire poterit. *Officiales* sunt, quia certis quoq; officiis funguntur. *Ordinarii*, quia Respublica iis carere minimè potest.

4. *Differentia* reliquis continetur verbis, quæ indicant  
I. *Causam Efficientem*, Summam Potestatem, quippe à qua originem trahunt Magistratus, non secus atq; consilarii, *partim* quoad legitimam vocationem, *partim* quoad *Autoritativam Summi Magistratus Confirmationem*.

5. II. *Causam materialem*, quæ sunt res, voce rei in latissimo accepta significatu, ut & res & personas & actiones includat.

6. III. *Causam formalem*, quæ est rerum istarum administratio, non quidem tantum consilio, sed maxime auxilio, quò ipso Magistratus differunt à Consiliariis.

7. IV. *Causam finalem*, nempe propter Rempublicam, ejusq; meliorem administrationem, cum unicus tanto oneri ferendo par esse vix queat, ideo assumit alios ipsa Majestas, quibus, tanquam mediis, instrumentis atq; ministris utitur.

8. *Deniq;* additur *medium*, scilicet ex lege. Certas habent præscriptas leges Magistratus Inferiores, juxta quas Rempubl. administrare debent. *Non ergò ex voluntate, sed ex lege imperant.*

Θέσις IX. Dividuntur Magistratus in generales & speciales.

Επιθεσις I. Varia varios apud Politicos Magistratum est divisio, & pro Rerumpublicarum varietate alia atq; alia.

2. Desumpta autem hæc est divisio à natura Magistratus, quæ

quæ in cura Reipublicæ consistit. Ista itaq; cura, cum vel generalis sit, vel particularis, ideo & Magistratus vel generalis vel particularis audit.

**Œſis X.** Magistratus generalis est, cujus cura in providentia de salute totius Reipublicæ versatur.

**Enſeſis I.** Genus in particula continetur relativa, ne vitiosa fiat ejusdem per idem repetitio. Differentia insinuat per verba illis: Quibus cura totius Reipublicæ Magistratui tribuitur, quibus ipsis quoq; à particulari seu speciali discriminetur.

2. Tales Magistratus imprimis in Oligarchia & Democratia sunt necessarii, & fuere quondam apud Athenienses, Archontes, & apud Romanos, Consules.

3. Cautio tamen diligens adhibenda, ne talis Magistratus nimiam armetur potentiam, quod non tantum liberis Rebus publicis, sed & Monarchiis sæpè perniciosum fuit. Exemplum adducit Cl. Arniseus cap. XV. p. m. 377.

**Œſis XI.** Magistratus Specialis est, cujus cura in providentia de salute totius Reipublicæ non versatur.

**Enſeſis I.** Genus eodem se habet modo, atq; se habebat Theſi præcedenti. Differentia verò ibi positivè explicata, hic negativè effertur, non quidem, ut removeat omnem omnino Reipublicæ curam, sed ut eandem saltim limitet, & ad certum locum vel objecta certa restringat.

2. Specialis ergò dicitur, quia specialiter & particulariter ad locum certum determinatur, & circa objecta quoq; particularia versatur. Dicitur enim, quod non totius Reipublicæ salutem procuret, sed aliquam tantum istius particulæ.

**Œſis XII** Subdividitur ergò Magistratus Specialis, in Specialem ratione loci, & ratione Objecti.

**Enſeſis I.** Speciales ratione loci vocantur, qui in certo loco ad res Reipublicæ gerendas sunt constituti, & tales in Civitatibus sunt Consules, in Diæcesibus Præsides & Præsecti.

2. Speciales ratione objecti versantur vel circa redditus publicos, & dicuntur Quæstores; vel circa justitiam, & appellantur

B

tur

tur *judices*; vel circa *Mores*, & vocantur *Censores*, de quibus jam ordine, sed breviter.

**Orōis XIII.** Consul est Magistratus specialis ordinarius, habens ex lege potestatem indeterminatam in Civitate.

**Enjctōis I.** Consul à *Consulendo* dicitur, eò quod Senati & Civibus consulat, vel potius, quod ab ipso exerceatur, consultatio, hoc est, res, quam significat, verbum, quod ab ipso derivatur *Consule*, *Consulo*.

2. Vocatur *Magistratus Specialis*, quia ejus cura non pertinet ad universam Rempublicam, sed pro unius tantum Civitatis salute geritur.

3. *Ordinarius* audit, quia legibus potestas ejus definita est, & sortitur certum in Civitate ordinem, eundemque perpetuo servat, quamvis officii ratione eam potestatem non semper exerceat, sed nonnunquam acquiescat, & collegis suis officii exercendi potestatem tradat.

4. Hinc non una persona est, quæ Consulatum semper gerit, sed nonnunquam duæ sunt, sæpius & ex hodierna observatione tres, quarum una Civitatis momenta administrat, uno anno, hoc verò elapsò, alteri regiminis cura traditur, & demique tertiæ personæ tertio anno.

5. Ut ut autem Consulis potestas legibus sit definita, indeterminata tamen est eadem in Civitate, adeò ut Consul non ut *Judex* circa judicialia tantum, sed circa omnia reliqua occupatus esse debeat, hinc & caput totius est corporis, & potestate prævalet in Senatu congregando, votis ferendis, rebus dijudicandis, & quæ alia rerum Civilium sunt.

**Orōis XIV.** Præses est Magistratus Specialis ordinarius, habens ex lege potestatem indeterminatam in Diacesi integra.

**Enjctōis I.** Videmus hic omnia verba definitionis eadem cum priori, hoc tamen discriminis notatò, quod ille sit in una saltem Civitate, hic verò in integro districtu seu Diacesi, ubi plures Civitates esse possunt, vel ad minimum Civitas cum pagis, aut plurimi pagi.

2. Est



2. Est verò *Præses* à *præsido* ita dictus, vel *Præfectus* à *præficiendo*, quia certæ Reipublicæ parti præsidet & præfæcti sunt.

3. Dicitur Magistratus 1. *Specialis*, quia non toti Reipublicæ, sed saltem alicui parti, majori tamen quàm Civitati præest: 2. *Ordinarius*, quia ex lege imperat. 3. *habet indeterminatam potestatem*, non in Civitate, neq; in tota Republica, sed in certo districtu & Diœcesi, adeoq; ratione objecti indeterminata est, quamvis ratione loci eadem determinata sit. Tales erant Præsides Romanorum in Provinciis & hodiè passim reperiuntur.

**Titulus XV.** *Quæstor* est Officialis Specialis Ordinarius, qui publico arario præest.

**Definitio I.** *Quæstor* à *quærenda* & *conquærenda* pecuniâ dictus est. Et hic Officialis inter speciales primus est, qui ratione objecti sic appellantur.

2. Officialis quùm sit, certo officio præsit, necesse est, quo fungitur, non suo, sed supremi Magistratus nomine.

3. Requiritur autem in eodem 1. *redituum publicorum notitia*, quippe qui sunt Objectum Quæstorum, & ideò quoq; arario publico præesse dicuntur. 2. *diligentia*, quùm quæstor dicatur à *quærendo*, non *sedendo*. Ea verò diligentia fieri debet modeste & opportunò tempore, moderate item, non omnia subditorum bona conquærendo. 3. *fidelitas*, quæ prima in eodem virtus esse debet, ut scilicet respiciat publicum, non privatum ararium, ut tributa justò quærat modò, & legitime vel servet, vel ad publicum adhibeat commodum.

4. In promptu ergò libri esse debent, ut ordo certus observetur, & tùm acceptorum, tùm expensorum ratio habeatur, ne plus erogetur, quàm Respublica sit ferendo.

**Titulus XVI.** *Judex* est Officialis specialis ordinarius, qui de re aliqua vel jure suo, vel Summi Magistratus Autoritate cognoscit & judicat.

**Definitio I.** *Judex* dicitur quasi *Juridex* à *juredicendo*, quia circa jus & justitiam versatur, quæ justitia cum duplex sit,

se, *Commutativa* & *distributiva*, ideo iudex non tantum tenetur Criminibus definire penam secundum proportionem arithmeticam; sed & viros de Republica præclare meritos præmiis afficere juxta proportionem Geometricam.

2. Requiritur ergo in Iudice. 1. *Juris scientia propria*, ut videat non alienis, sed propriis oculis, & judicet non ex alieno, sed proprio iudicio 2. *vita inculpata*. Turpe nam est Doctori, dum culpa redarguit ipsum. Nec iudex bonæ conscientia ea potest judicare, aut punire delicta, quorum ipse reus est. 3. *Affectuum absentia*, *aveu na Juv* clamitabat Areopagita. Et sicuti Oratorem impediēbat affectuum studium; ita & multo magis iudicem in iudicando. 4. *utriusq; partis æqualis admissio*. Semper iudici in corde & coram oculis versari debet illud: *Audiatur & altera pars*. Unam anrem, ad exemplum *Alexandri M.* porrigat accusatori, alteram reservet reo. Et deniq; 5. *sententia seria deliberatio*. Non ergo precipitet sententiam, sed cautè procedat, & coram iudicio cuncta peragat, ne sine iudicio quicquam egisse videatur.

*Oratio XVII.* Censor est Officialis Specialis ordinarius, qui moribus præponitur, ut dirigat atq; corrigat ea, quæ legibus definiri non possunt.

*Enchiridion I.* Censor secundum *Varronem l. 4.* dicitur, quod ad ejus censionem seu arbitrium censeatur populus; vel secundam *Festum l. 3.* quod quisq; rem suam tanti æstimarit, quanti Censor censuerit.

2. Hodie quidem Censoris officium, maximi semper à Veterioribus æstimatum certæ, non demandatur personæ, videtur tamen idem adhuc esse penes universum Magistratum, qui præcavet, ne contra bonos mores quicquam committatur, aut si committitur, penam irrogat promeritam.

3. *Objectum* Censoris sunt mores, circa quos dirigendos & emendandos versatur. Ut enim legibus iudices, ita moribus Censores quondam præponebantur, scilicet ut ea corriperent, quæ legibus definiri non possunt.

4. *Effectus* Censuræ erant varii, *damnatis* incutiebant ruborem;

borem, in dignitate constitutos honore aliquandiu privabant, & postea ad meliorem frugem reversos restituebant; quosdam certâ pecunia summâ multabant, & tandem contumaces ad Magistratum deferabant, ut publico iudicio damnarentur.

Θεσις XIIII. Extra-Ordinarii Officiales sunt, quorum officia legibus non sunt definita.

§ I. Extra-Ordinarii dicuntur, quia extra ordinem officia illis committuntur; in Genere alias vocantur Curatores.

2. Illorum non datur definita varietas; quia in omnibus Officiis Extra-Ordinarii possunt constitui, & tot sunt; imò longè plures, quàm Magistratus & Officiales ordinarii.

Θεσις XIX. Dividuntur itidem, ut Magistratus, in Generales & Speciales.

§ I. Illi plenam & arbitrariam habent potestatem, quales sunt Pro-Reges, Pro-Consules. In Academiis Pro-Rectores, Pro-Decani, Pro-Cancellarii &c.

2. Hi verò arbitrariam potestatem non habent, imò nullam nonnunquam habent potestatem, sed sine Impetio ad rem agendam & dicendam causam adhibentur, quales sunt legati, quibus non licet nisi definito loqui, sed de his cum sint Extraordinarii, multa verba facere nolumus, specialia forsitan in sectione altera habebimus, ad quam jam pergimus.

## SECTIO II. ΖΗΤΗΤΙΚΗ.

### Qu. I. An Officiales Principi sint necessarii?

Optandus magis, quàm sperandus talis Princeps est, qui cum Argo *πυροπτης* & totus oculus existat, adeò ut ex se, in se & per se statim perspicere possit, quavis in re, quid factò opus sit, qui partim naturâ auspice, partim curâ & industriâ Duce tantâ polleat prudentiâ, ut alienâ opus sit minimè. Sed quia talis ac tantâ rarò in purpuram cadit Prudentiâ, & licet major sæpè in Principem cadat Prudentiâ, quàm in reliquos homines, indiget nihilominus ob varium & multiplex ejus officium Princeps aliis, tanquam instrumentis & ministris;

quo-

quorum ope & operâ in suis functionibus uti, & quorum consiliis sublevatus tantæ moli sufficiens esse possit. *Plus enim vident oculi, quàm oculus*, ut vetus dicit veriverbium, & credibile est, plurium oculus plus videre, & plurimum aures plus audire, plurium manus plus operari, quàm unus duobus oculis, auribus, aut manibus. Et certum aliàs est, ipsaq; experientia comprobatum, nullius hominis tantam esse prudentiam, cui non aliquid desit, quod per alterius, prudentiam compleri queat.

*Qu. II. An tantum ex Nobilibus, an verò simul ex ignobilibus Officiales eligendi?*

Distingvendum hic ante omnia erit inter *Nobiles* *nativitate* & *virtute* *tales*. De illis quæstio neganda, de his affirmanda venit. Deinde discrimen faciendum inter *Nobiles* *nativitate tantum* *tales*, & *quatenus quoq;* *hanc nobilitatem virtute auxerunt*. Hi ante omnia sunt asciscendi, quibus cum omninò & conjungendi illi, qui licet *nativitate* *nobiles* non sint, *nobilitatem* tamen *virtute* sibi compararunt. Qui verò unicè *nobilitatem* *urgent* *Proavorum*, nulla propriâ laboribus atq; artibus honestis comparatâ, ii assumendi minimè sunt, quia fundamento destituuntur, quò tota innititur *Respublica*, nempe *virtute*. Nihil verò est in contrarium, quod adeò *urgent*, quàm illud *Poëtae l. IV. carm. od. 4.* quod *fortes creentur fortibus & bonis: Sed virtute decet non sanguine niti: Si perlegerent reliqua subsequencia verba, responsionem viderent sufficientem, ubi Poëta pergit*

*Doctrina, sed vim promovet insitam,*

*Reliq; cultus pectora roborant,*

*Uti cunq; defecere mores,*

*Dedecorant bene nata culpe.*

Et hac responsione nos quoq; contenti erimus, quamvis contraria *Sapientum dicta* quàm plurima huc accersere possemus. *Urgent. 2.* majorem in *Nobilibus* *virtutis* *præsumtionem*. *Respondemus* i. *præsumtio* non facit *virtuosum*. Non enim qui *præsumitur* *talis*, *reverà* *talis* est. Hinc *distingvimus* 2. *inter* *to videri* & *esse*. *Videntur* *quidem* *tales*, *sed* *non* *sunt*.

Non

Non credendum semper externæ nativitatæ formæ, sed potior  
internæ virtutis ratio habenda. Hinc est, quod Codrus Ur-  
ceolus in Epigramm. scribit:

*Sis licet ingenuis clarisq; Parentibus ortus,  
Esse tamen vel sic bestia magna potes.  
Adde decus Patriæ & claros tibi sume propinquos,  
Esse tamen vel sic bestia magna potes.  
Sint tibi divitiæ, sit larga & munda supellex,  
Esse tamen vel sic magna bestia potes.  
Deniq; quicquid eris, nisi sit Prudentia tecum,  
Magna quidem, dico, bestia semper eris.*

*Qu. III. An uni multa officia demandanda?*

*Negativa* plerorumq; est, eò quod rectius & melius  
negotia à multis, quàm ab uno conficiantur. Omnia non ho-  
minum pariter sunt omnibus apta. Et sicuti manus in quinq;  
digitos divisa ad actiones aptior est, quàm si unum tantum di-  
gitum habeat, ita magnum & arduum imperandi opus rectius,  
melius & felicius multis peragendum committitur, quàm uni,  
ne ingens illa imperiorum moles unius humeris incumbat,  
eumq; tandem supprimat. *Urgent* verò potissimum illud  
*πολυτιδιον*: Quod potest fieri per pauca, non debet fieri per  
plura. Respondemus ad hoc: Quod eadem commoditate po-  
test per pauca fieri. Jam *Minor* probanda est. Probant verò  
eandem ab *Officialium plurium avaritia & injustitia*, quibus  
sæpè fit, ut pauperes supprimantur, & insontes plectantur,  
judiciò Officialis istius vel alterius largitionibus corruptò,  
quæ incommoda præcaveri posse dicunt, si unus quispiam à  
latere stet Principis. Sed Respondemus i. nondum sufficienter  
*Minorem* probatam esse. Quis, quæso, scire potest, quod  
non & hic unus aut ad minimum ejus adstantes *Ministri lar-*  
*gitionibus* possint corrumpi? Eâ facilitate hoc fieri potest  
quàm illud. Et sanè facilius. Quamvis ipse solus sit, res  
illas qui administrat, nec adeò multis indigeat sumptibus ad  
unam alendam domum, quàm si plures fuerint, sapius tamen  
crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Et  
quum

quum impossibile sit, unum posse simul multa eademq; recte facere, qui precavere poterit in Ministris famelicis munerum acceptionem? Et quicquid ejus rei sit, *distingvimus 2. inter id, quod fit per se, & quod fit ex accidente.* Ex accidente Officiales & Consilarii avari sunt & injusti, non per se, quia tales sunt. *Hinc 3. Princeps tales non debet pati receptos, nec recipiendos admittere.* Nos loquimur de Officiali, quia virtuosus, non quia vitiosus est; prout in se spectatur, non prout qualitatibus adherentibus vitiosus est commaculatus.

*Qu. IV. An in Consiliario requiratur Pietas?*

Non quaeritur hoc in loco, *An Clericus in Consilium Principis Secularis sit legendus; sed annon in Consiliario Pietas, ut virtus primaria requiratur, quod nos asserimus.* Nec enim Consilium de rebus maximis inire potest, nisi habeat mentem puram & castam, & splendore divino collucentem & robore & constantia divina confirmatam. Subrident quidem hodierni Caco-Politici, quoties Pietatem in Consiliario requisitam legunt: Sed rideant eachinumq; moveant, quousq; velint. Irridendi aliquando ipsi erunt, & e Republica ejiciendi, quando Pietate desuper habitam Respublica detrimentum capit. Consilia namq; ex Impietate profecta, ut ut bonitatis speciem mentiantur Respublicae nec bona, nec utilia esse possunt, quum in fine non consistant, sed tragicum semper exitum habeant.

*Qu. V. An foemina in Consilium vocanda?*

Sicuti foemina ad Imperii fasces admittenda facile non est; ita nec ad consilia publica. Prudentiam quidem Semiramidis laudat *Justinus lib. 1.* quam & ipsum Alexandrum M. admiratum fuisse testatur *Curtius l. 7. c. 6.* Sed exempla sunt rarissima. In rebus quidem privatis & domesticis prudentia pollent, sed in publicis & Politicis eadem destituuntur.

*Qu. VI. An tolerabilior sit regni conditio, ubi Princeps est malus, & Consilarii boni, quam ubi Princeps bonus & consilarii mali?*

Neq; in Principe, neq; in Consiliariis approbamus malitiam,

litiam, utrumq; potius requirimus bonum, justum & publici  
boni studiosum; sed comparationem saltem instituimus in-  
ter utrumq; malum, quis magis Republicæ noceat, an malus  
Princeps, an malus Consiliarius? *Machiavellus*, & qui ejus legit  
vestigia, *Prætorius in Polit. part. post. c. 2. quest. 1.* tolerabilius  
esse judicant, Consiliarios esse malos & Principem bonum, sive  
fuerit absolutus, sive non absolutus, posse nihilominus eum facile  
absolutum Dominatum vel Tyrannidem invadere & sana Consi-  
liariorum honorum consilia rejicere, omniaq; pro lubitu & arbi-  
trio suo disponere. Sed Respondemus negando, Principem non  
absolutum hoc præstare posse. Gratis ista dicuntur, non  
probantur. De absoluto quidem hoc concedimus, atq; hinc  
dicimus, melius esse Consiliarios esse malos, quam talem Prin-  
cipem absolutum. Nam licet Princeps ejusmodi malos ha-  
beat Consiliarios, eosdem tamen facile vel compescere, vel  
prorsus removeere potest; Sin verò absolutus Princeps non  
fuerit, sed potestatem habeat limitatam à regni ordinibus, tunc  
tolerabilius longè est, si Princeps sit malus, consilarii verò bo-  
ni, quia tunc isti compescere & ad rectum deducere possunt  
Principem. Deniq; in voce *Malus* latet ambiguitas. *Vel enim*  
*sumitur pro minus idoneo, pro simplici & minus prudente, itaq;*  
*sic melius est, Principem esse malum, quam Consiliarios tales;*  
*vel pro callido, versuto ac malitioso, & ita præstat Principem esse*  
*bonum, quamvis secus sint Consilarii.*

*Qu. VII. An in Consiliario Philosophie requi-  
ratur cognitio?*

Distingvendum hinc ante omnia erit inter *Philosophiam*  
*Theoreticam & Practicam.* De hac verum est, quod *M. Anto-*  
*ninus Imperator* ex *Platone* repetiit: *tunc fore fortunatum Im-*  
*perium, cum Philosophi dominarentur, aut dominantes philoso-*  
*pharentur, cujus verba supra in Prooëmio ex Eusebio l. IV. c. 14.*  
*adduximus: Et quod Aristoteles 2. Rhetor. de Philosophie stu-*  
*dio testatur, per illud homines ad prudentiam alacriores fieri.*  
Hinc & *Philosophiam* in *Consiliariis* requirere videtur *Cicero*  
*de Clar. Orat.* Et alibi libro nempe 5. de finib. eam commendat,  
C quod

quod rebus gerendis sit aptissima, atq; ab ea claros viros instructos  
Rempubicam sepius gessisse confirmat; At de illa scilicet Theo-  
retica valet illud ex parte tantum, scilicet si sobrie & parce  
eadem tractetur. Alias si quis omnem in eadem aetatem con-  
sumferit, ad Rempubicam gubernandam est ineptus, & citius  
ex Satureia lanceam conficeres, quam ex hisce in umbra &  
Speculatione educatis probos Consiliarios, inquit *Athen. l. 5. c. 1.*  
Sententias enim ferunt non tanquam in Romuli fece, sed ve-  
lut in Platonis aut Mori Republica. Ignea illa, ut *Lipsius vocat,*  
ingenia rebus novandis, quam gerendis sunt aptiora. Unde  
tale ingenii acumen in Consiliariis Politici requirunt, quod  
iudicii directam normam habeat.

*Qv. VIII, An ex Senibus potius, quam Juvenibus  
Consilarii sint eligendi?*

Utrinque multae & plausibiles prostant rationes. *Se-  
nes* recommendat experientia & Prudentia, animus item a pravis  
affectibus & cupiditatibus repurgatus, Autoritas atq; Dignitas.  
At pro Juvenibus militat, quod aptitudo Consilarii non estime-  
tur ex annorum numero, sed Doctrina, iudicii, morumq; prestan-  
tia, qua cum Juvenes superiores senibus existant, ideo eos po-  
tius adhibendos esse colligunt. Nos media incedentes via,  
nec Senes, nec Juvenes simpliciter excludimus. Non Senes,  
si tales sint, quales quidem jam jam describebantur, virtutibus  
excellentes, experientia & Prudentia eminentes, animum a  
cupiditatibus repurgatum habentes, Autoritate & dignitate  
pollentes, & hi maximum Reipublicae emolumentum afferre  
possunt. Sin vero fuerint decrepiti & Capulares, laborum  
& difficultatum impatientes, difficiles, morosi, obliviosi ac  
obstinati, hos admittendos non esse, facile concedimus. Non  
juvenes, dummodo sint virtuosi, docti, ingeniosi, prudentes &  
probi. Sin vero contra se habuerint & indocti, temerarii &  
vitiosi fuerint, eos pariter non assumendos esse concludimus.  
*Hinc Senibus juvenes, & juvenibus senes adjungendos esse dicimus.*  
Sicut enim expedit juxta annosas arbores novas plantas in-  
serere, quae post interitum veterum locum earundem te-  
nere,



nere possint: Ita etiam utile est Reipublicæ, admittere cum Senibus Juvenes ad Consilia, ut ex Seniorum factis dictisque discant in posterum similia & dicere & consulere. In sententiis tamen conferendis prius Seniorum præstat audire Consilia, ne ita distrahantur, & juvenes quoque deliberandi spacium habeant, quod apud Athenienses in more olim positum fuisse testis est Alex. ab Alex. 4. Gen. diæ. c. 11.

*Qu. IX. An Princeps novus Antecessoris Consiliarios dimittere debeat?*

Ita quidem nonnulli existimant, eò quod in Principis potestate situm sit, novos eligere & constituere Consiliarios, huic autem potestati aliquid decedere, si jam constitutos & electos retineat, præsertim cum Seniores verendos esse putent, & Rempublicam non tam sub, quam illorum arbitrio gubernatum iri credant. Verum tale quid metuendum non est. Juvenile hoc est iudicium & Reipublicæ minus Salutare, quod multi Principes cum magno suo & Reipublicæ damno experti sunt. Exemplo cuique potest esse Rehabeam, cujus sic mentio. 3. Reg. 12. 1. & 2. Paral. 10. 1. seqq. Commodus Imperator tamdiu commodum habebat Imperium, quamdiu commendatos sibi à Patre morti vicino Consiliarios in Consilium adhibuit, quibus verò remotis, & in eorum locum parasitis adhibitis, impudentiam & temeritatem eorum antegressus est longissimè. Et si vel maximè Princeps ipse satis consilii in se & junioribus deprehendat Consiliariis, retinendi tamen sunt Seniores alias quasdam ob causas, eò quod subditi, mutatis Prædecessoris Consiliariis, leges modumque regiminis mutatum iri opinabuntur, ac libertatis oppressionem suspicabuntur. Sunt præterea Veteres Consilarii omnium Reipublicæ arcanorum Conscii, totamque ejus statum cognitum & perspectum habent, quem facile alteri hoc contemptu irritati prodere, vel Principem apud subditos suspectum reddere possunt. Si verò mutatio aut dimissio instituenda, non fiat eadem ex privato Principis affectu, vel injusto populi odio, sed partim ex ipsorum indignitate, præsertim infidelitate, partim ob salutem Reipublicæ.

*Qu. X. An*

*Qv. X. An ex Indigenis potius, quàm extraneis  
Consiliarii sint eligendi?*

*Extraneum sæpè recommendat virtus, præ Indigena, quæ  
virtus, cum in eligendis Consiliariis magis sit spectanda,  
quàm Patria, ideo ille præferendus videtur. At Indigenam  
utrumq; commendat sapius, & virtus & Patria, iudicantq; mores, hinc  
magis respiciendus est iste, quàm ille. Nec est quod quis dicat,  
inter inquilinos nullum reperiri idoneum, qui tali possit com-  
modè præesse officio. Hoc enim turpe nimis foret Reipublicæ,  
tàm novercam habere Patriam, quæ non possit talem producere  
virum, cujus Consilii uti queat Princeps. Si tamen nonnunq;  
in Extraneo excellens reperiatur virtus, qualis in Josepho, Da-  
nicie, aliisq; fuit, nil obstat quò minùs & iste aliis possit adjungi.*

*Q. XI. An Cubiculariis loco Consiliariorum habendi?*

*Negamq;. Non enim in istis hominib; prudentia est nec Consiliu,  
nec taciturnitas. Quales igitur sint Consiliarii, facilè inde con-  
spicitur. Accedit, quod apud eosdem Principis sæpè vilescat  
autoritas, quem ipsorum Consilio indigere putant. Distinguen-  
dum tamen probè hoc in loco est inter colloquutionem, qualemcumq;  
questionem & Consilii petitionem. Alloqui eum potest Princeps,  
aliquid quoq; ex eodem querere, sed Consilium ab eodem pe-  
tere, Prudentiæ ejus repugnat.*

*Qv. XII. An Consiliarius ob minùs acceptum Consilium &  
sinistrum ejus eventum puniendus?*

*Bimembris hæc est quæstio. Quoad prius membrum neganda  
simpliciter eadem est, quantumvis Exemplum Darii ex Impatientia  
Charidemum nimis liberè suadentem punientis contrarium  
suadeat. Non tamen videndum quid factum sit, sed quò jure  
factum sit. Quod jure supplicium Charidemo irrogatum non  
sit, ostendit subsequuta Darii poenitentia & voluntas decretoria,  
quæ neminem ob sinistrum aut ingratum vel nimis liberum  
Consilium puniendum esse sancivit. Quoad posterius distin-  
guimus inter Consilium ipsum, & Consilii eventum. Non eventus,  
sed Consilium ipsum respiciendum est. Ratione Consilii fidem  
prestare tenetur Consiliarius, non verò eventus rei obligatur. Sæ-  
pè optimè cogitata, cadunt pessimè, & prava prosperum sorti-  
untur,*

untur eventum. Eventus rei neq; in Consiliarii neq; Principis, neq; ullius manu est, quamobrem iniquius esse nil posset, quam fidelem Consiliarium ob eventum Consilii minus prosperum plectere velle.

*Qu. XIII. An Consiliarius etiam non requisitus debeat monere & Consultere?*

Respondemus affirmando. *Distingvenda tamen sunt Objecta.* In rebus magni momenti & salutem Reipublicæ concernentibus, quum Principis aures multitudine adulatorum sæpè obstruantur, Consiliarius etiam non requisitus tenetur admonere Principem, ne in censum Adulatorum referatur; ubi verò restanti ponderis non sunt, sed particularia quædam tantum & minus necessaria respiciunt, non statim Consiliarii est, interpellare Principem, quippe cuius est non nisi seria & Reipublicæ maxime conducibilia tractare. *Excipit Sertorius in diss. Pol. de Cons.* Perinde Consiliarium facturum, ac si Medicus non vocatus ad ægrotum se intruderet, & proinde talem arrogantia ægrotiæ & adulationis notam vix posse effugere, autumat. *Verum si Comparatio admittenda dicimus:* Sicut nec malè nec inconsultò facit Medicus, si ægroto præcipuè periclitanti, licet non vocatus, medicam manum adhibeat: Ita malè non faciet Consiliarius, si Principis actiones Reipublicæ damnum causantes impediatur suisq; Consiliis ita dirigat, ne quid mali inde Respublica capiat. Sicuti quoq; 2. Medicus non quovis in loco, nec omni tempore id ipsum facit: ita quoq; 2. *locâ atq; tempora Consiliarius benè debet distingvere.* Non omnes cum Theodosio facilius audiunt arguentem, quam adulantem, ideo certus locus est seligendus, certumq; tempus expectandum, quò præmeditatò Consiliò rem Principi proponat, & adhibitâ Reverentiâ debitâ asperitatem sermonis colore quòdam molliat, quum Principem amica & lenis admonitio plerumq; magis flectat, quam tristes & acerba Objurgatio.

*Qu. XIV. An Consiliario in Consilium veniendum, quando scit, talia tractatum iri, quibus ipse salva Conscientia assentiri non possit?*

Questionis affirmativa ex præcedenti fluit. Nam si Con-

C 3

ilia-

Consiliarius non rogatus publici boni ergo Consilium Principi dare tenetur: Multo minus rogatus consilium denegare aut evitare poterit, ut cum ceterorum dissensu id ipsum fiat, quem non adeo metuere debet, quam veritatis occultationem, ubi eius manifestatio est necessaria. Necessaria autem est hoc in loco, tum ex parte Principis, ut ipse ad viam rectam deducatur; tum ex parte Consilarii, ut veritate intrepidè dicta, salvet conscientiam; tum ex parte Reipublice, ne ea quid damni capiat.

*Qv. XV. An Consiliarius à semel probata sententia recedere debeat?*

Inter levitatem & pertinaciam medium datur, nempe Constantia, quâ præditus quam maximè debet esse Consiliarius, evitata levitate ac pertinaciâ. Non statim, nisi firmioribus rationibus convictus, sententiam deserere debet, nec pertinaciter nimis contra Conscientiam eandem defendere. *Constans sit Consiliis, & unum habeat animum, unam linguam & calamus.* Quod si verò videat, suam non procedere Consultationem, non piaculum reputet, ab eadem recedere, ne pertinax existat. Imitetur hac in parte peritum Nauclerum, qui, cum eò, quò tendit pergere non possit, eò quò potest cursum dirigit, ac sæpè velificatione mutata procellis ac tempestatibus obtemperat. Idem in Consiliis suis faciat bonus Consiliarius.

*Qv. XVI. An Consultius sit Magistratum habere perpetuum, an ambulatorium?*

De universo in Civitate Magistratu, negativam amplectimur sententiam; at de particulari illam quotannis fieri videmus mutationem ratione Consulium aliorumque Senatorum & Assessorum; Ratione Syndicorum, Secretariorum, ac Notariorum nulla est mutatio instituenda, ne arcana Civitatis publicentur, ejusque salus periclitetur.

*Qv. XVII. An Judex secundum acta & probata, An secundum Conscientiam judicare debeat?*

Status controversiæ in hac ardua & satis vexata questione hic est: Si causa quædam à litigantibus in iudicium deducta sit, in qua ab Actore probationes sunt adductæ: iudici verò  
contra-

contrarium certò constet, probationes esse falsas, remq; aliter  
esse comparatam, Utrum scilicet in tali casu reum ut nocentem  
condemnare debeat ac possit? quod negamus. Sive si talis Cau-  
sain iudicium sit deducta, in qua reus negat factum, Actor vero  
probatione sufficiente sit destitutus, Iudex vero sciat reverà, re-  
um non esse innocentem, Actoremq; bonam Causam fovere,  
Num Iudex reum ut innocentem absolvere debeat? quod negamus.  
Talis enim absolutio foret. 1. contra interdictum Dei Exod. 23.  
2. Contra Iudicis officium, quod est, ut justitiã administraret, quæ  
non administraretur, si contra conscientiam quem damnalet. 3.  
Contra Jus naturale, quod requirit, ut secundum rei veritatem  
sententia feratur, dum præcipit unicuiq; suum tribuendum  
esse, quod minimè præstat Iudex, dum reum absolvit & inno-  
centem damnat. Deniq; 4. contra Iudicis personam, qui  
debet esse vir bonus. Nihil autem viro bono magis repu-  
gnat, quàm contra conscientiam aliquid committere. Priorem  
ergò questionis partem nos negamus, non quidem simpliciter,  
sed in tali casu, ubi secundum conscientiam iudicare potest.  
Iudex & posteriorem asserimus, quicquid in contrarium Ponti-  
ficii cum Canonistis & Legistis in conflictu sibi sibi deciden-  
dum, afferant.

*Qv. XIII. An Censores in Civitate sint ne-  
cessarii?*

Sunt quidem necessarii, non tamen absolute, sed con-  
ditionate, partim ratione estimationis, ut scilicet homines  
censeantur quoad generationem, educationem, facultates &c.  
tunc etiam onerum & tributorum legitima impositio atq; ex-  
actio dari potest, quæ fundari debet in quantitate & pro-  
portione bonorum, quæ quis possidet, quæ omnia sine Cen-  
sura facile fieri non possunt; partim ratione notationis, si-  
quidem beneficio censuræ ejusmodi vitia & flagitia eradi-  
cantur, quæ Reipublicæ ruinam & eversionem moliri atq;ve  
accelerare solent, ut sunt Ebrietas, scortationes, libidines, u-  
suræ &c.

*Qv. XIX. An Legato liceat agere ultra  
prescriptum?*

Non sanè. Nam Legati munus est, omnia ad prescriptum  
Impe-

Imperiumq; ejus, qui mandavit, agere: Imperatoris verò, summa  
rei considerare & liberum tenere Imperium. Videtur ergò Lega-  
tus sibi arripere Imperium, quùm ultra præscriptum aliquid  
agit. Distingvendi tamen sunt Legati. Quidam enim certum  
accipiunt mandatum, quod ultra iis agere non licet; Qvi-  
dam verò jubentur agere, quod sibi videtur, & his certò ha-  
bitò consiliò mandati fines transgredi licet, illis non item.  
Ubi tamen istæ adhibendæ Cautelæ. 1. Ne quid minus hono-  
rificum Principi curetur. 2. Incommoda, quæ metuenda, si res  
aliter gesta, quàm imperatum, emolumento spei pensanda. 3. Im-  
primis respiciendum ingenium ac natura ejus, qui mandavit.

Qu. XX. An Legato liceat accipere  
munera?

Venetorum Legatis capitale est, in legatione munera  
contrectasse, teste Hermolao Barbaro de Republ. Venet. qui &  
ipse eandem ob causam exulatum ire iussus est. Et hoc ab  
Atheniensibus hauserunt, quorum Legatus quispiam, licet ho-  
norificam cum Persarum Rege pacem sanxerat: Tamen quia  
in legatione munera accepisse visus fuerat, parum abfuit,  
quin & ipse occideretur, prout hoc adducit ex Xenoph. l. 7.  
ver. Græc. B. Gerhardus in Pol. Dec. 4. q. 10. Idem mos, eadem-  
que lex & aliis fuit populis. Nihilominus tamen vetustæ  
quædam gentes, legationum tum necessitatem, tum decus in-  
telligentes, nullum facile legatum ditionem suam præterire  
passi sunt, quem non honorario prosequerentur. Ex quo  
tanquam speculo lucidissimo animi affectus luceret, ut de  
Germanis antiquæ simplicitatis testatur Tacitus, qui etiam  
fraudi ignominiaq; ducere solebant, si quis sine largitione  
domum reverteretur. Pro decisione distingvimus 1. inter  
munera legatorum honestatis & honoris causa data, & inter ea,  
quæ corruptele causa impenduntur. Non hæc, sed illa acci-  
pere potest. 2. Inter numerata ante & post Legationem expedi-  
tam. Ante legationem munera accipere, nefas esto, quia  
cæcitas sunt bos in lingua; At post eandem benè perfectam  
eadem suscipere, nil prohibet, hæc unicâ tamen cau-  
telâ additâ: Nec omnia, nec quovis tempore,  
nec ab omnibus.

T A N T U M.

DISPUTATIO POLITICA NONA

De

Tributo, Vectigalibus, &

Moneta,

PRÆSIDE

M. JOH. MANITIO, Elect. Alumno

& Fac. Phil. Adjuncto,

publicæ ventilationi exposita

à

JOHANNÉ RÖNIG/ Möccarenf. Saxon.

die 7. May, horis matutinis.

---

SECTIO I. Θέλησις.

Θέσις I.

**T**ributum est pecunia, quam Magistratus à populo vel ratione bonorum, vel personarum respectu, extra Mercium usum exigit.

Ἐπιθεσις I. Post jus Officiales & Magistratus constituendi proponitur nunc jus exigendi tributum & vectigalia. Servantes igitur nostrum ordinem, de his jam in præsens acturi sumus, ita, ut breviter etiam de *Moneta* agamus. Quamvis post tractionem belli & foederum demum proponatur; tamen quia hodiè medium esse solet, quò tributum & vectigalia penduntur, non inconveniens istius hoc in loco erit tractatio.

2. *Tributum* derivatur vel à *tribuo*, quia de eo cuiq; tribuendum est, quantum decet; vel à *tribu*, quia tributum pro census portione exigitur. Hinc dicitur *tributarius*, *prædium tributarium*, &c.

3. *Tributum* *Synonymicè* vocatur *Census*, Græcè κῆνος, quod tamen vocabulum Latinum; sed Græcâ civitate donatum est. Item *pensum*, quod vocabulum latius patet, & quoq;

A

à non.

à non subditis, & qui majestatem possident, tribui potest; ac tributum est signum subjectionis.

4. *Generis loco* ponitur pecunia, & latius patet, quàm tributum, quum insuper quoq; de vectigalibus & moneta dicatur. *Differentia* istis potissimum verbis continetur, quod soleat exigi extra mercium usum, atq; sic differt à vectigalibus, quæ in mercium usu exiguntur.

5. *Subiectum patiens* est magistratus, qui exactum tributum recipit; *subiectum verò agens* est populus, qui illud pendit & confert.

6. *Magistratus* dicitur, ut intelligatur, tum à superiori, tum ab inferiori tributum exigere; *ab hoc tantum instrumenta-liter, ab illo verò principaliter.*

7. *Objectum duplex* est: *Primum* sunt Bona: *alterum* personæ. *binis* est auctio & conservatio ærarit. Unde apparet, non exigenda esse tributa, ut augeatur principis fiscus; sed ut locupletetur & conservetur ærarium publicum.

**§ II.** Tributum est vel reale, vel personale.

*Ex § I.* Fluit hæc divisio ex præcedentibus, & ex objecto, quod vel reale, vel personale est. *Iltud* dicitur patrimonii & possessionis; *hoc verò* Capitationis seu κατ' ἐξοχήν capitatio.

2. Tributum ergò exigitur 1. ἀπὸ τῆς γῆς, à terra vel agris, ejusmodi sunt Decimæ frumenti, vini &c. 2. ἀπὸ τῶν ἐν τῇ χώρᾳ ἰδίως γινομένων i. e. ab illis, quæ alicui regioni sunt propria, cujus generis est aurifodina &c. 3. ἀπὸ τῶν ἐμπορίων, à mercatura. 4. ἀπὸ τῶν βοπήματων, à pecoribus. 5. ἀπὸ τῶν σωματίων, à corporibus seu personis, cujusmodi est ἡμικατάλαον, seu capitatio, ceu tradit *Philosophus* 2. *Oecon. c. 1.*

3. Nequaquam verò exigendum tributum ex rebus illicitis, lenonibus, meretriculis, fimento, lotio, cloacis, usu aëris, umbris, & aliis æruscandi rebus illicitis. Nota est fraus Heliogabali, qui Diis suis fecit nuptias, ut iis pro dote pecunias elaboraret, prout testatur *Herod. in Heliogabal.* Talia enim tributa, qui exigunt, illi Remp. depauperant, odium subditorum incurrunt, nec seditiones adeò evitare valent. Imò mercatores prohibentur insuper, ne apportent ea, quibus carere non possumus, nec exportent ea, quibus abundamus.



4. *A personali verò tributo exempti sunt persona Ecclesiastica, Studiosi, Milites, Comites item, Barones, atq; Nobiles, nisi extremæ res fuerit necessitatis.*

**§ III.** In exactione tributi observanda est proportio non Arithmetica; sed Geometrica.

**§ I.** *Hic modus legitimus est, si ille plura qui possidet, plura quoq; in usum conferat publicum. Impossibile enim est, posse quæquam ex pauperibus tantam pecuniæ summam conferre, quantam valet dives mercator.*

2. *Ut ergò sit & maneat modus legitimus, Exactor attendat probè 1. non quid liceat, sed quid deceat. 2. Necessitatis rationem habeat, nec plura, quàm quibus opus, exigat. 3. videat, quid facultates civium ferant. 4. quamdiu publicis è bonis necessaria suppetunt, privatorum ad exspilationes non descendat. Et 5. deniq; si collationem singulis à civibus faciat, ex iis fieri non debet, quæ vitæ sunt, & amictus quotidiani: sed è rebus minùs necessariis, quæ luxui, deliciis & intemperantiæ præbent occasionem. Sic enim ærario consulitur, & Reip. vitia corriguntur.*

3. *Exactio itaq; justa, moderata, & ad nullum alium finem directa esse debet, quàm ad meliorem & faciliorem Reip. gubernationem, munitionem & defensionem.*

**§ IV.** Vectigal est pecunia, quàm magistratus à populo ratione mercium importandarum & exportandarum, evehendarum & invehendarum, item eorum, quæ circa merces sunt, exigit.

**§ I.** *Vectigal à vectione, invectione & avectione dicitur; & denotat id, quod magistratui debetur pro mercium avectione & invectione.*

2. *Genus idem est, quod tributi. Differentia istis potissimum insinuatur verbis: quod in mercium usu locum habeant vectigalia, tributa verò extra mercium usum, atq; ita differunt.*

3. *Subiectum patiens, quod vectigalia recipit iterum magistratus est, summus quidem principaliter seu *υποκειμενος*; inferior autem *οργανικως* seu instrumentaliter. Subiectum autem*

agens est populus, qui de rebus avehendis & invehendis vectigalia solvit.

4. Est quidem & ipse magistratus subjectum agens, & populus subjectum patiens, alio nempe respectu. Agit magistratus, dum vectigalia imperat; patitur populus, dum sibi præscribitur. *At ita non objectivè vectigalia spectantur; sed causaliter.*

5. Objectum sunt res avehendæ & invehendæ, exportandæ & importandæ, quales sunt frumentum, vinum, & omnis generis merces; imò non tantùm hæ ipsæ merces; sed & instrumenta, quibus avectio & invectio, importatio & exportatio fieri solet, ut equi, currus &c.

§. 5. V. Dividitur vectigal in ordinarium, & Extraordinarium.

Ex §. 1. In specie aliàs vectigal dispescitur in portorium, vectorium, & venditorium; sed hac de divisione locus hic non est agendi.

2. Præsens verò divisio æquè competit tributo ac vectigali, & à temporis differentia desumpta est, si tempus fuerit ordinarium, ordinarium exigitur vectigal; sin extraordinarium & extremæ necessitatis, hinc extraordinarium exigitur.

3. Describitur inde Ordinarium, quod semper suo justo tempore secundum communem Reip. ordinem exigitur; & Extraordinarium, quod non semper; sed in casu duntaxat necessitatis extraordinarium exigitur.

4. Prioris generis tributa & vectigalia ante recensuimus. Posterioris sortis sunt imprimis Jugeralia, quæ de agris pendunt solent extraordinariè; Capitatio, quando singuli cives aliquid viritim suo pro capite numerare extra ordinem jubentur; Hospitatio, si nomine Magistratûs excipiendi & alendi sunt milites aut alii peregrini.

5. Huc referenda Modialia, Centesima, Quadragesima, Quinquagesimæ, Columnaria, Hostiaria, cursorum & eqvorum stationes, quas Parasangas; & navium ac plaustrorum præstationes, quas Angarias, & Parangarias vocant.

6. Observandum autem idem & hoc in loco, quod circa tributi exactionem Principi observandum diximus, nempe ut  
adhi-

adhibeat prudentiam, & justitiam, sciatq; quando, quantum, quomodo, unde & cur exigenda sint.

7. Hinc concedimus facile, quod rebus illis, quæ cum civitatis incommodo vel importantur, vel exportantur, majora imponi possint. Exemplum adducit *Aristot. l. 2. Oecon. c. 1.* Clementis Alexandrini, Satrapæ Ægyptiaci, quod magnâ frumenti penuriâ alibi existente, multum vectigalis nomine ab illo, quod exportandum, poposcerit, atq; sic fecerit, ut non multum frumenti exportaretur, multum autem vectigalis loco reciperetur.

8. In casu item necessitatis tributa possunt imponi iis maximè rebus, quibus magistratus novit subditos maximè delectari. Ita fecit *Condalus Mausoli Præfectus*, cum Lycios capillis admodum delectari cerneret, literas à Rege allatas esse dixit, præcipientes, ut capilli eorum ad *æconomia* mitterentur. Quod si verò juxta capita postulatam pecuniæ summam malent contribuere, se curaturum esse promittebat, ut ex Græcia capilli apportarentur. Si itaq; libentur, quicquid argenti postulabatur, conferebant, referente *Arist. l. 2. Oecon. c. 1.* An verò iste modus tributum cogendi hodiè procedere possit, judicent alii, qui ad imperii clavum sedent, ejusq; statum bene cognitum habent.

9. Quùm verò non tantùm per tributorum & vectigalium exactionem ærarium publicum augeri & conservari possit, sed & per legitimam monetæ novæ pensionem & augmentationem, ideò laterem haud lavabimus, si & hac ipsa de materia in præsentem nonnulla faciamus verba. Sit itaq;

**Θέσις VI.** Moneta est pecunia, ex materia metallari, præsertim auro & argento ad publicum Reipubl. usum à Magistratu confecta.

**Επιθεσις 1.** Moneta à monendo deductam volunt, quod vel de nostris temporibus futura secula commoneat, vel de valore publico, vel deniq; non esse fraudem in metallo vel pondere.

2. Dicitur aliàs *Nummus, pactum, vespera, signum*, quia signum aliquod vel bovis, vel ovis, vel hodiè quod fieri solet,

Imperatoris aut Principis refert, Græcè νόμισμα, vel δῶν τῆ νό-  
μῳ, quod lege provisum sit, ut nummus tanquam σύνθεσις quod-  
dam publicâ formâ cuderetur, qui usum dominiumq; non tam  
ex substantia præberet, quàm ex quantitate; vel à numero, quod  
nummi functio non minùs numero constet, quàm pondere;   
vel à Numâ Rom. Reg. antiquo. Vid. Isidor. l. 15. orig. c. 17. &  
Cæl. Rhodig. l. 10. Antiq. Lect. c. 21.

3. Genus est pecunia. Latius namq; patet, quàm mo-  
neta, quia omnis moneta quidem pecunia est; sed non omnis  
pecunia statim moneta. Sic dicebatur pecunia tributum ac  
vectigal, quæ duo tamen in suo conceptu proprio monetam  
non statim inferunt. Differentiâ à causis desumpta est, à mate-  
ria, forma, efficiente & fine, quas jam ordine thesibus aliquot se-  
quentibus explicabimus.

§ VII. Causa Materialis monetæ sunt me-  
talla.

Ex § I. Varia itaq; pro varietate metallorum est ma-  
teria. Potest enim 1. esse ferrum. Sic Spartani ex instituto  
Lycurgi, abrogantis omne aureum argenteumq; numisma,  
ferreo utebantur. Plutarch. in Lycurg. Illud solitum tingi ace-  
to, simul ac igne exentum, ne posset procudi, sed ob tinctu-  
ram minus duceretur, vel malleo esset tractabile. Plutarch. in  
Lysand. Apud eosdem Corium habuisse nummorum usum,  
scribit Sen. l. 5. de benef. c. 4. Æs, inquit, habere alienum dici-  
tur, & qui corium publicâ formâ percussus, quale apud Lacedæ-  
monios fuit, quod usum numerata pecunia præstat. Stob. serm. 145.  
Idem ferrum apud Clazomenios in usu fuisse, testatur Philosophus  
l. 2. Oecon. c. 1. 2. Stannum, ut apud Syracusios, teste eodem  
Philos. l. c. 3. Æs seu cuprum, quâ materiâ utebantur veteres, un-  
de ærofa pecunia. Usi sunt nummo æreo Britanni, aut an-  
nulis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo, obser-  
vante Cæsar. l. 5. de Bell. Gall. Et tali moneta adhuc hodiè utun-  
tur Sveci, Galli & Itali. 4. Aurum & Argentum, quæ duo poste-  
riora monetæ materia sunt aptissima, cum talia metalla apud  
omnes hodiè pretiosiora sint. His accedit. 5. Charta, à metal-  
lorum materia aliena, quâ utebantur Tartari Catharini, quî  
cū

cum præter chartaceos quadratos Regis sigillo impresos nummos alios non haberent, vetustate absumptos in aulam Regis refererent, pro hisdemq; novos recipiebant, referente *Arnis. l. 2. de Jure Maj. c. 7.*

2. Ad monetæ ergo materiam requiritur, ut sit *ex numero utilium*, adeo, ut licet monetæ valor definat esse, utilitatem tamen omnem non amittat. Talis materia est *ferrum, stannum, argentum & aurum.*

3. Debet verò materia quoq; esse *justa & legitima*, non *adulterina*, hoc est, aurum aureæ, argentum argenteæ, æs æreæ, cuprum cupreæ monetæ sit materia, quamvis non omnis diversorum metallorum mixtio, præsertim in nummis minoris pretii sit prohibita, adeo ut etiam corium, necessitate id efflagitante, nummorum sæpè materia fuerit.

**§. IX.** *Causa monetæ Formalis est valor nummi publicus, qui dependet à pondere, Characterè, pretio.*

*Ex Jovis I.* Antiquitus monetæ valor pondere ac magnitudine fuit distinctus, progressu verò temporis, ut homines molestia ponderandi ex parte levarentur, notâ seu signò definitus fuit, ut habet *Arist. l. 1. Pol. c. 9.*

2. *Characteres & inscriptiones varia sunt & arbitraria à Magistratum voluntate pendentes.* Veteres Romani ex re pecuariâ præcipuè quærentes victum, nummis effigiem bovis, ovis, & suis imponebant. *Plutarch. in Publicol.* Olim etiam illis Janus geminus altera ex parte, ex altera rostrum navis figuratum *Plin. l. 33. c. 3.* Hodie characteres tales sunt imagines, insignia & symbola principum, qui aut soli, aut simul sub nominibus superiorum, regum & imperatorum monetam conflare solent, quod & civitates illæ, quæ aliquid libertatis reliquum habent, facere consueverunt.

3. Primus in Græcia *Philippus Macedonum Rex* suâ nummos signavit effigie, unde & *Philippæi* nominati sunt. Et *Darii* effigie signati dicebantur *Darici*, ut habet *Bodin. l. 1. de Rep. c. 10.* *Augustus Caesar* nummum argenteum notâ sideris Capricorni, quò natus est, percussit, teste *Svet. in August.* *Constantinus M.*  
aureis

auris nummis imaginem suam ita imprimi curavit, ut panis manibus instar precantis coelum contueri videretur, ut refert Euseb. l. 4. de ejus vita. Et quis velit omnes imagines & monetæ species reconferre? De Ebraeorum Moneta vid. CL. Cellar. l. c.

4. *Pretium* ab ipso magistratu dicitur. Penes quem enim est potestas monetam cudendi, penes illum quoque est potestas illi valorem indendi. Et tantum moneta valet, quantum ille illam valere voluerit.

Θέσις IX. *Causa Monetæ Efficiens est ipse Magistratus.*

Εκθεσις I. *Efficiens Monetæ tum ratione Quiditatis, tum ratione Quantitatis, & Qualitatis est magistratus.* Non quidem inferior, nisi privilegiatam hanc à Majestate habuerit potestatem; sed summus, seu summa potestas: *non ratione physica effectiois, sed moralis productionis.* Non enim princeps ipse monetam cudit, sed cudendam præcipit, valorem indit, & in sua ditione usurpandam mandat.

2. Opus autem non est, ut monetæ valor latius sese extendat, quam ejus potestas, qui valorem indidit. Unde moneta, quæ in sese bona satis est aliàs, à libi nil quicquam valet.

3. Neque quicquam refert, sive is, qui potestatem monetam cudendi habet, ipsemet cudendam curet, sive alios nummos recipiat, illisque valorem concedat. Manet tamen ejus potestas facta atque tecta.

4. In quorum enim potestate situm est, monetæ valorem designare, in illorum quoque potestate situm est, eum immutare, vel augere, vel minuere.

5. Sicut autem Leges temerè, nisi urgente summâ necessitate, non immutantur; ita nec monetæ valor temerè est immutandus. Et sicuti illa mutatio semper ferè Reip. quoque infert mutationem, ita quoque hæc monetæ mutatio periculosa valde est. Quum verò moneta conficiatur Reipubl. commo- do, inde ne incommodum quoddam exinde Resp. accipiat, dis- spiciendum probe. Hinc jam ad finem:

Θέσις X. *Finis Monetæ est commodum Reipubl. publicum.*

Εκθε-

*Ex Jure I.* Diximus Monetæ mutationem periculosam esse, nec facile instituendam; nihilominus tamen, si Reip. salus id ipsum flagitet, mutari eadem potest, sed non nisi publicâ autoritate, & sine aliorum injuriis.

2. *Publicum ergò commodum semper est respiciendum.* Et quamvis consultissimum, monetam potius habere patriam, quàm peregrinam aut exoticam, attamen propter eorum multitudinem, hoc jure qui gaudent, & plurimarum nationum missionem ac vicinitatem, commerciorumq; frequentiam, nihil causæ est, cur nummos externos, præsertim probos & nostratibus nihil deteriores excludamus.

3. *Quia verò publica utilitas per adulteratores sæpè solet interverti, ideò pœna gravissima dictitata est ejusmodi defraudatoribus, ut ad rogam flammis comburendi damnarentur.* Neq; pœnæ gravitas hætenus impostores istos deterrere potuit, quin sæpius talia publica furta committantur, adeò, ut metuendum, de futura aliquando tria ista Mundo ex *Philippi Melancthonis præjagio: Ligna, bonam monetam, & amicos.*

## SECTIO II. ΖΗΤΗΤΙΚΗ.

### Qv. I. An Tributum sit onus reale?

Ita quidem definit *Liebenthal. Exerc. Polit. XIV. tb. 30. tributum, quod sit onus reale rebus impositum, quod quispiam ratione patrimonii suo Magistratui, in cujus territorio patrimonium possidet, præstare tenetur.* Hæc descriptio, si ex mente Autoris non exclusivè, sed inclusivè intelligenda foret, adeò, ut personæ non excluderentur, sed includerentur simul, satis bona esset; quamvis nec hoc adeò approbandum, quod omittat ita essentialia definitionem aliàs bonam explicitè, non implicitè tantum ingredientia. Sed quicquid sit, excusari non potest, quocunq; tandem modò id præstare conetur quispiam; expressè namq; addit, quod olim tempore Tarquinii Superbi personale fuerit exactum non ratione rerum; sed personarum respectu, quæ exactio in Imperio Rom. à Constantino Imp. fuerit abrogata, ut ex personali onere factum sit reale. Verùm, ut ut concedamus,

B

damus,

damus, abrogationem illam tūc temporis factam esse, quī, quāso, probabit, non introductam eandem esse postliminiō. Rerum omnium tam ignarus esse nemo potest, qui nesciat, Capitationem hodiēnum exigī in nostro Imperio, nec tantūm ex possessionibus, verūm etiam à personis extra mercium usum, tributum exigī. Quod quūm verum sit, sicuti verissimum est, oppidō fuit indē, *Genus angustius à Libenthalio fuisse adhibitum, & latius quoddam quærendum esse.*

*Qu. II. An tributum possit exigere Magistratus?*

Tributum origine vetustissimum est, atq; statim simul cum imperiis emeruisse dicitur; hinc necessarium Reip. administrandæ munimentum esse videtur. Nam idē impenditur, ut & teseram quādam subjectionis, & ornamenta pacis belliq; subsidia magistratus habeat, & subditi utroq; tempore quietē, & tranquillē sub magistratu vivere possint. Videtur tamen obstare memorabilis illa Ludovici Gallie Regis exhortatio, quam filio testamento insertam reliquit, & hujus tenoris est: *Fili, religiosus in primis erga Deum esto, benignus & liberalis adversus egentes, Legum ac morum hujus Imperii custos, ac vindex acerrimus, à vectigalibus & tributis abstineto, nisi te summa vis necessitatis ac utilitatis publicæ justissima causa ad hoc impellat; sin minus, Tyrannum te potius, quā Regem futurum putato.* Sed existimamus nos, non simpliciter hoc sapientissimi Principis rescriptum intelligendum esse; sed saltem de abusu, qui ubiq; ferre tunc temporis primum obtinebat locum. Qui enim simpliciter prohibere potuisset tributum, quūm optimē sciret, subjectionis notam idē esse, & ejus exactionem ad jura Majestatis pertinere. Tributa ergō danda esse hodiē, nemo dubitat, præsertim cum ipse Christus pro se & Petro tributum dederit. Nec etiam conqveri habemus de nimia tributorum exactione hætenus nostro in imperio, nec ægrè ferre debemus, si subsequenti forsan tempore, ob instans toti Christianismo periculum maximum majora exigantur, quūm melius sit dare tributum & pensum Cæsari, quæ Cæsaris sunt, quā unā cum sanguine Bona fortunæ spolianda ac dilaceranda immanitati Turcarum cruentæ tradere, quod Constantinopolitanis, proh dolor!



dolor! annis abhinc ducentis & undecim usu venit, qui the-  
fauris terræ mandatis, militibus stipendia denegabant, quæ ta-  
men postmodum unâ cum vita, rapacitati Turcarum sanguino-  
lentæ, victâ urbe, denegare haud poterant.

*Qv. III. An tributa à subditis sint solvenda?*

Quia Majestati obediendum, illa verò tributum, tum  
ordinariè, tum extraordinariè exigere potest, non nisi rebellis  
& pertinax tributa denegabit. Imò *præter Scripturam S., exem-  
plum Christi, & mandatum Apostoli, jus Naturæ tributa requirit.*  
*De Apibus* namq; referunt Naturæ Secretarii, quod Reges ea-  
rundem nil laboris suscipiant, nec mellis succum colligant, nec  
aquam apportent; sed quod certò subditorum quasi vivant,  
tributò. *Deniq;* accedit ipsum jus gentium, quarum nulla un-  
quam tam Barbara fuit, quæ reges suos reverenter adeò non ha-  
buerit, & tributa dederit, cum horum tanta sit necessitas, ut  
nec Respubl. sine iisdem consistere queat.

*Qv. IV. Unde Tributum sit solvendum?*

Magna quidem rerum est varietas, imò innumera ac infi-  
nita fermè diversitas, adeò ut tributorum quoq; inde oriatur  
difformitas: nihilominus tamen species principaliores enu-  
merari solent, quod solvantur à *personis & bonis* extra usum  
mercium; in mercium verò usu exigitur vectigal, & hæc quoq;  
est differentia inter tributum & vectigal, ut supra notatum.

*Qv. V. Cur tributa sint exigenda?*

*Non sanè ob Principis luxuriam, fiscum, & consiliariorum ava-  
ritiam; sed ob ararii publici conservationem & augmentationem.*  
Laudabiliter Boleslaus I. Poloniæ Rex, *malle se, dixit, gallinâ ve-  
scentem, salutem & tranquillitatem civium suorum tueri, quàm de-  
liciosis indulgentem pati, ut quisquam opprimeretur.* Et Alexander  
Severus nefas esse inquebat, ut dispensator publicus in delectatio-  
nes suas suorumq; converteret id, quod Provinciales dedissent. Sunt  
ergò tributa exigenda unicè *ob Reip. salutem*, non thesauri mul-  
tiplicationem, quia salus Reip. non consistit in ararii multi-  
plicatione; sed divitiarum ibidem repositarum legitima usur-

patione.

*Nullus argento color est avaris*

*Abdito terris, nisi temperato*

*splendeat usu.*

inquit venuste Poëta lib. 2. od. 2. Et alius nomine Cornelli Gallus

*Quid mihi divitiæ, quarum si demseris usum,*

*Quamvis largus opum, semper egenus ero.*

Et hæc Reip. salus jam includit *status civilis conservationem*,  
*Principis & Majestatis sustentationem*. Privatis namq; curis &  
rebus intentus esse non potest ille, qui totam vitam publicis  
transigit negotiis. Quum ergo princeps hoc faciat, publicè  
ut sumtus ad vitam conservandam & statum gerendum suppe-  
ditentur, necessarium est.

*Qv. VI. An sæpius tributum subditis sit imperandum?*

Plausibilis pro affirmativa ratio ea videtur, quod ærarii  
publici augmentum semper respiciendum, ut nervi rerum ge-  
rendarum sint in promptu tempore necessitatis statim adhi-  
bendi. Verum, ut non sunt facienda mala, quò inde bona eve-  
niant; sic nec subditis nimia imperare tributa licitum est, ne  
nervi eorundem corrumpantur, quibus tempore necessitatis  
ærarium erat augendum & locupletandum. Ærarium sat di-  
ves est, dummodò subditi sint divites. Et si subditi bonis o-  
mnibus exuantur, utut ærarium sit locupletissimum, brevi ta-  
men tempore illud exhauriri potest. Præclare Autor Anti-  
Machiavelli lib. 3. theor. 32. *Principis thesauros*, inquit, *in subdi-  
torum pecuniis atq; loculis sitos & reconditos esse, satius est. Ideoq;  
dabit operam, ut subditi pace tutâ & tranquillò otio fruantur &  
ditescant: Urbibus sua libertas, sua iura & commoda serventur,  
libera ubiq; sint commercia: agricolæ cateriq; extraordinariis &  
immodicis tributis leventur: ne Magistratus tanquam hirudines  
populi sanguinem exugant: ne latronum globi, aliq; rapacium  
hominum manus specie & nomine militum palantes vagentur: neve  
ulli alii per causam Decimarum vel tributorum exigendorum, vel  
quibuscunq; aliis honestis nominibus misera plebis fortunas agant  
ferantq;. Hæc Anti-Machiavellus. Neq; multò post. Si Prin-  
ceps, inquit, efficiat, ut omnes ipsius ditionis partes divitiis abun-  
dent, siniq; quàm plurimæ locupletes & opulente domus, nullos ha-  
bebit certiores quæstores, ærarios, quàm subditos, nec qui pecunias*  
ei li-

ei liberalius, quoties necesse, suppeditent. Haecenus ille, hocq;  
monitum observant Principes boni, alia verò Tyrannorum  
est ratio.

*Qv. VII. An tributum extraordinarie non-  
nunquam à subditis possit exigi?*

Tempore quidem ordinario licitum illud nunquam erit  
Magistratui, quàm tali, si bonus esse velit, non tyrannus: con-  
tentus esse debet tributis ordinariis, ne misera plebecula one-  
retur, exhauriaturq;, pastor bonus sit, qui tondere solet pecus,  
non deglubere. *Et sicut caput in humano corpore à reliquis  
membris nihil subsidii extraordinarii exigit, ita nec ipse tanquam  
Reip. caput extraordinarii quid à subditis deprecere, aut ipsorum  
lacrumis impingvescere debet.* Officii ipsius ratio postulat, sub-  
ditos cum bonis suis defendere, non hostiliter opprimere.  
*Alexander M. cuidam monenti, longè plus vectigalium auferri posse,  
respondit: ἢ ἡμπερὸν μισῶ τὸν ἐκ ριζῶν ἐκτέμνοντα τῷ λαῷ χανά.*  
*& olitorem odi, qui radicibus excindit olera.* Nihilominus si  
status Reip. fuerit extraordinarius, & evidens adsit necessitas,  
ut salvari amplius non possit Resp. tunc necessitas legem non  
habet, & potest tunc princeps vectigalia & tributa augere, &  
extraordinaria quædam à subditis exigere. Cautè tamen ca-  
veat 1. ne tributa sint nimis grandia. 2. ne sint sordida, & ma-  
gistratu indigna, quùm turpe valdè sit, lucrum ex omni re odo-  
rari, vel quod in proverbio dicitur, à mortuis auferre. 3. ne sint  
nimis frequentia, 4. ut equaliter imponantur subditis sine odii aut  
gratiæ respectu. 5. ut non suum proprium & privatum; sed publi-  
cum commodum quærat, non exigat mille, & ad Reip. commo-  
dum centum tantùm conferat. Deniq; 6. ut non per crudeles,  
austeros, avaros & rapaces; sed per probos, humanos, & continen-  
tiæ amantes ministros id peragat. Quæ si probè fuerint obser-  
vata, tum ordinaria, tum extraordinaria tributa non adeò e-  
runt prohibita.

*Qv. VIII. An à quolibet & ex re quolibet liceat ma-  
gistratui tributum exigere?*

Bimembris hæc est quæstio, negativa tamen utrinq; ample-  
tenda. Quoad prius argumentamur à natura tributi hunc in-  
modum:

A 3

modum

modum: *Quicquid est signum subjectionis, illud non nisi à subditis exigendum. At qui tributum est signum subjectionis. Ergò, Major constat, quia qui subditus non est, ab eo subjectionis signum non est postulandum. Minor ex sequenti decima constabit quaestione. Stat ergò Conclusio, quæ talis: Tributum non nisi à subditis exigendum. Si hoc itaq; verum, quod non nisi à subditis tributum sit exigendum, sequitur inde oppidò, ab aliis, qui subditi non sunt, tributum non exigendum esse. Quoad posterius arguimus à Majestatis autoritate ita: Quicquid Majestatis auctoritati est contrarium, minusq; conveniens, illud à Majestate exercendum non est. At tributum exactio è re quavis minima, inhonesta, sepè & vetita est auctoritati Majestatis contraria, minusq; conveniens, Ergò. Minorem probamus, quia sordities Majestati maximè contraria & inconveniens est, quæ ex tributum nimia exactione provenit facile, cum ex umbra, urina, & similibus inhonestis rebus eadem exiguntur.*

*Qu. IX. An satius sit tributa certò legum jussu definire, an libera Eadem subditis relinquere?*

*De Vetustis Germanis testatur Tacitus in libro de iisdem, quod suâ sponte sine legum jussu tributa contulerint haud immemores avitæ libertatis. Sed quamvis ultronea ista & omninò spontanea tributorum exactio laudanda in iis maximè sit: tamen pro horum temporum conditione tutius esse arbitramur, ut quâdam legum astrictione tributa constant, ita tamen, quod non semel monitum, ut absit acerbitas atq; violentia. Solent enim subditi (quod de Britannis Tacitus habet in *Ægricola cap. XXXI. n. 1.*) injuncta imperii munera impigrè obire, si vis & injuria absint. Has ægrè tolerant. Id quod idem Tacitus lib. IV. *annal. cap. LXXII. n. 1.* ostendit *Exemplo Frisiorum*, qui cum in exigendis tributis ab Olenio duriter haberentur, remedium ex bello quærentes, pacem exuerunt, Dominorum magis avaritiæ, quàm obsequii impatientes.*

*Qu. X. An tributum sit signum subjectionis?*

*Christoph. Prætor. in Polit. part. poster. c. 8. qu. 7. Affirmativam tuetur hæc motus ratione, quod tributum solvatur quoddam*

dam nonnunquam jure conventionis & confederationis. Hinc distinguit inter tributum, quod à subditis postulatur jure subjectionis; & quod jure conventionis & societatis à fœderatis vel finitimis pacis servandæ gratia solvitur. Verùm, non opus est ambiguitatem fingere, ubi nulla est. Hoc posterius, quod conventionis aut confederationis jure solvitur, non tributum; sed pensum vocatur, ut ex *thes. 1. E. 2. 3.* videre est. Est ergò & manet tributum subjectionis signum.

*Q. XI. An à Personis & rebus Ecclesiasticis tributa possint exigi?*

Prolixè hanc Quæstionem tractant Politici, imprimis *Petr. Gregor. Tholosanus lib. 3. de Republ. c. 7.* Nos distingvimus breviter inter tributa realia & personalia. Ratione personæ immunes esse debent omninò Clerici, cum honoris, tum ocii necessarii, quod maximè negotiosum, causa: at quatenus propria in civitate possident bona, eatenus non ut Clerici, sed ut cives considerantur, nec immunes esse possunt. Quod verò concernit res Ecclesiasticas, de iis expressè habetur *Lex Deut. 27. v. 28.* Omne, quod Deo consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, neq; venditor, neq; redimitor, quicquid semel fuerit consecratum, sanctum erit Domino. Accedit, quod bona Ecclesiastica destinata sint publico usui spirituali, ideoq; ad usus civiles & profanos non sunt transferenda.

*Q. XII. An ob ararii augmentum officia publica vendi debeant?*

Multos modos ditandi ararium enumerat *Tholosan. lib. 3. c. 6.* è quibus ex *lib. 2. Oecon. Arist.* non pauci descripti sunt. In Gallia frequens est officiorum & honorum publicorum emtio & venditio, quâ arte quotannis plurimum pecuniæ colligitur. Sed hunc ararium ditandi modum approbare possumus minimè, nisi simul his in licitationibus virtutis habeatur ratio. Venalis est ibidem & ipsa Nobilitas, sed *Reipubl.* parùm honorifica & veræ Nobilitati molestissima.

*Q. XIII. An tributa à Magistratu sint remittenda?*

Non adeò ex usu *Reipublicæ* videtur populo tributa remitti, quod primis annis imperii sui *Nero* improbanse Senatu faciebat, quod observavit *Svetonius* in ejus vita cap. 10. & *Tacitus* lib.

13. an-

13. *annal. cap. 50.* Cives enim libertati asvescunt, & sesforem ægrè denuò recipiunt, attenuatur etiam ærarium, & Respubl. præfidiis suæ stabilitatis orbatur! Nihilominus remissio tributorum locum habere potest certis in casibus: 1. si princeps aliquid magni & insperati gaudii habuerit, vel ex heredis masculi generatione, vel uxoris acceptione, vel victoria acquisitione. Sic Mithridates, cum primò Romanos vicisset, debita civitatibus & publica, & privata remisit, & vacationem quinquennii concessit, prout memoriæ id prodidit *Justin. l. 38.* 2. Si subditi magnis bellorum, sterilitatis, incendiis, & similibus incommodorum claudibus affecti sint. 3. si ab antecessoribus onera nova subditis præter fas & æquum imposita fuerint, ea Princeps successor meritò tollit. 4. Si vel regiones, vel civitates, vel persona de patria & principe benè sint merita, privilegiis ejusmodi immunitatis donari solent. Deniq; 5. sub initium regiminis principes aliquando subditis tributa remittunt benivolentiæ conciliandæ gratia. Et tales si princeps habeat rationes, obstare nil videtur, quò minus tributa ab eodem subditis remitti possint.

*Qu. XIV. An liceat Magistratui Politico per Mercaturam bona publica & privata augere?*

Negativa vel inde clara est, quod mercaturam exercere, sordidum sit officium Principe prorsus indignum, & quod mercatura totum requirat hominem, curis publicis non implicatum. Est quidem mercatura legitimè exercita medium licitum acqvirendi pecuniam, & si à Principe exerceatur, medium locupletandi ærarium; at quia utilitas non præferenda honestati, sed hæc illi, idè rectius facit Princeps, si mercaturæ exercitium vel suis exercendum tradat Ministris, vel solis relinquat subditis, ne eorum commercia impediatur aut difficiliora faciat.

*Qu. XV. An cura Monetae Principi sit conveniens?*

Potestas monetam & cudendi & æstimandi penes principem est, nec ad quemquam subditorum, nisi ex indultu & concessione Principis pertinet. Quicumq; ergò subditorum propria sibi sumit auctoritate hanc potestatem, reus criminis læsæ Majestatis judicatur meritò, & condignò afficitur supplicio.

T A N T U M.

05 A 2510

ULB Halle

3

004 545 036




Worms









54

J. J.  
COLLEGH POLITICI  
Disputatio QUINTA  
DE  
**REPUBLICA**  
in Genere, & in Specie  
De  
**Simplici atq; Mixta,**  
quam  
**PRO LOCO**  
*In Amplissima Facultate Philosophica*  
benevolè sibi concesso  
publicæ ventilationi submittit  
PRÆSES  
**M. JOHANNES MANITIUS,**  
Elystrâ-Lusatius, Serenisf. Elect. Sax.  
Alumnus,  
RESPONDENTE  
**M. ANDREA CLEEMANNO,**  
Lieberof. Lusato.  
*Ad diem 5. April. An. 1664.*  
In Auditorio Majori, hor. matut.

---

WITTEBERGÆ,  
Literis JOHANNIS RÖHNERI.